…islaus

…snens.

Provinciae Polonae Soc. Jesu *Flores* circumdati Rosae.

FLORES CIRCUMDATI ROSÆ

Celſiſsimi & Reverendiſsimi Domini

D. STANISLAI

IN SŁUPOW

SZEMBEK

ARCHIEPISCOPI

GNESNENSIS

Legati Nati

Regni Poloniæ & M.D. Lithvaniæ Primatis,

Primiq; Principis

Perpetui Commendatarij Abbatis Tinecenſis

Supremis Poloniarum Infulis

CORONATÆ.

ET

à devinctiſsima tam Magno Celſiſsimi Principis Nomini quàm Gneſnenſibus Mitris, Societate JESU Provinciæ Polonæ

proniſſimo cultu

ADORATÆ.

Anno DEI Floris humanâ Carne circumdati

1711.

Typis Collegij Caliſſienſis Societatis JESU.

m.

- - Vidi omni Te pridem in Flore nitentem.

Stat. Sylv. 5.

In STELLAM *Clementis* XI. *Pontificis Maximi Insigne,*
Et simul Gentilitias Celsissimi Principis ROSAS,
Epigramma. Ex Ausonio.

Ambigeres: raperetne Rosis Aurora ruborem,
An daret, & Flores tingeret orta dies?
Ros unus, color unus, & unum mane Duorum,
SIDERIS & FLORIS. Forsan & unus odor,
Unus & est Murex; sed celsior ille per auras
Difflatur, spirat proximus iste magis.

Dic: quibus in terris inscripti nomina Regum
Nascantur Flores?

Virg: Eccl: 3.

AD CELSISSIMUM
PRINCIPEM
Illustrissimum ac Reverendissimum
ARCHIPRÆSULEM

Principum Celsissime.

I*Ntellexisti Antistes Magne, non per injuriam aut egestatem dici, quòd Titulorum Tuorum Gloria, quasi ex alieno derivanda fuerit. Divinum enim, vel propè Divinum, sed Tuum etiam est; unde fontem habet, unde impetum rapuit laudatio. Poteramus ergo, in primo orationis limine, aliena rapiendo, offendisse; Sed Tuæ Dignitatis perfectissima absolutio facit: Ne offendamus Quenquam. Florum Tuorum Aurora præluxit: ut Te, Purpuratorum Luminum*

num Soli, sine pallore admovissemus; utque ex illo, altissimarum flammarum, & Honorum omnium Pelago, totum plaudendi ductum traxissemus. Caput Orbis, pro Capite, & prima Tuarum Laudum fronte, par fuerat statui; Quia pro Majestate loquendum est; utq; ex hac, quam Titulis Tuis præposuimus, facie, quasi Summus Antistes noscereris. Jam quis ille ausus foret, parvam ratem committere Oceano; itinera aggredi ardua, quibus immensum gloriæ Tuæ decurratur; veluti quoq; bellum ingens, pro Te, contra Tuam expedire modestiam; nec præconsuluisse fatidica responsa? nec ad Oracula Vatûm confugisse? Placuit itaq; rem auspicatò agere: non enim integrum putabamus, laudare Virum meritis grandem, Genere altum, Honoribus Celsissimum, si non Superos ante omnia invocassemus. Invocavimus autem prænominando. Nam primus hic, quem innumeris aliis præposuimus, Titulus, Divinum quoddam effatum est; à Deo profecta denuntiatio; Maximorum etiam in terris Numinum cæleste agnomen. Tali appellatione, Clementem XI, ætatibus nostris prædixerat olim, vir ille fatidico numine afflatus Dunensis in Hybernia Archi-Præsul. Et nonne hoc Tibi proprium est, quod Archi-Præsuleum, quod Pontificium, quodve Divinum insuper est? laudari inquam non potes, nisi cum Sanctissimis. Ipsas etiam Summorum laudes attollere videris, & participando cumulare. Equidem intra refertissimos Tuorum decorum thesauros nihil vulgare & nihil occurrit Commune (ita Te supra obviam cæterorum sortem extulit prodigiosa Virtutis insolentia) quantum attamen id lucis Tuæ fastigium est: Solem ipsum Dignitate jam præferre, dum reliqui siderum locô eminent, sed Minorum; dum Pares suos Polonia censet in pretium, sed Tibi, Antistitum nostrorum Maxime, nullum honore parem. Quia Tecum Divi soli communicant; nec singularis esse desiit, quisquis meruerat Numinibus Nomina permiscuisse. Arcanos ergo Superum de Clemente sensus, sub Circumdatorum Florum, id est sub ROSARUM Vestrarum symbolo, accepimus: inde & laudationis originem. Quidquid enim de Te dicatur maximum, nunquam excedit fidem; sed Tua Gloria humanæ linguæ excessit facultatem; quia oracula Deorum sunt, quantacunq; ea fuerint, quæ, dum laudaris proferuntur. Non Tuus itaq; Honor, quasi dubium decus titubare potest; neq; nos errare unquam aut falli, quasi incertorum assertores; neq; Tu nobis diffidere, quasi assentatoribus. Quis contradicere Divinis edictis audeat? quis effata cælestia non probare? aut quis Clementis XI, Tuæq; simul Gloriæ non subscribere? Unico certè Hoc, Quem, Tuis Elogiis in Caput & frontem exordio prætulimus; totius orbis assensum promeruimus, attentionem excitavimus,

concilia-

conciliavimus authoritatem dicentis, religione afflavimus stylum, perpetua silentia livori induximus, reverentiam tandem quasi cuidam obtinuimus mysterio, & pro Tua Dignitate Majestatem. Credent nobis secutura sæcula, illud de Te etiam proclamatum fuisse; quod nos de summo dictum credimus Pontifice, & quod de Te quoque dictum interpretamur. At quam consultè, Ipsius inprimis Clementis captavimus benevolentiam! audiet enim non invitus, Societatem nostram ita se Apostolico solio obligasse & devovisse, ut Neminem toto orbe æstimet, nisi qui à Romanis Pontificibus pretia derivaverit; & si quempiam laudaturi simus, Clementi XI. *deferre semper, proq; Ejus Gloria agere omnia conjuraverimus. Audiet itaq;, Clementum omnium Clementissimus, & annuet non invitus: præsaga Dignitatis suæ nomina, communicari aliis, communicari supra cæteros Tibi, & in Te, quasi manifesto eventu comprobari. Tu vero* PRINCEPS CELSISSIME, *nec titulos, nec titulorum plausus admisisse volebas aliter; quàm ut Honoribus Tuis honoraretur Roma, & Fons ille Honorum Tuorum coronaretur. Erat equidem virtuti Tuæ optabile, in Sanctissimorum Consortia adoptari; nec alius est quo magis gaudeas Titulus: quàm quòd Pontificius audire Legatus non adventitio vocabulo, sed naturæ Fortunâ videaris. Cæteros enim Legatos, Natos appellabamus; Te, quasi nascendi sors ad Vicarios Summorum Pontificum Fasces progenuisset; ita in Gentilitiis* ROSIS, *Clementis* XI. *characterem legimus, & communicatam Legato Nato potestatem recognoscimus. Nemo deinde erit: qui non curiosa aviditate accipiat reconditas divinæ mentis significationes, ita explicari palam: prout evidens fuerit: Tibi illas ex Clemente* XI, *etiam verò Clementi ex Te; utriq; ex tempestivis Meritis, pro consona utriusq; Dignitati Gloria convenire; id est, utriq; Vestrûm optime semper convenire. Et ille quidem acturus gratias pro gratia non poterit indignari; nam flores suos in Tuis* ROSIS *amat, dum suam redolent ubiq; Sanctitatem. Nos, si altissimas laudes Tuas, à Summo ad summum deducere volebamus, quid ad eminentiam sublimius? si Honorem Tuum contra temerarios insultus sanctum reddere; quid ad immunitatem sacratius? si veritatem oraculi, Virtutum Tuarum luce demonstrare conabimur; quid certius ad fidem, ad fortunatum Omen quid acceptius dixisse poteramus? Flores prædiximus Circumdatos; intra hos, non unum Titulorum orbem, gratias omnes, totum gloriæ Florem, innumerasq; Meritorum Tuorum Coronas, & omnia quæ Te circumstant decora, compendio complexi sumus. Quæcumque demum sive publicæ felicitati precari faustissima, sive mærenti Patriæ promittere meliora, sive Tibi gra-*

B *tulari*

tulari Supremâ atque vovere majora debebamus; in summam redegimus omnia: dum Tuas ROSAS, *quasi Flores Circumdatos, Te Ipsum verò, quasi Summum Pontificem aut adorabit aut ominabitur.*

Principis Tuæ Celsitudinis

Devinctissima

Societas JESU

Provinciæ Polonæ.

ATtica, odoratos quæ in ſidera ſpargis Hymettos,
Atq; ſuperborum, Cælo, confinia florum.
Subdis, & admoto ſentiris odore propinqua:
Jam Tibi prætumidus dejecto culmine vertex
Serpit humi; jam languet honor, jam florida marcet
Gloria, vicinus quam non bene ſenſit Olympus.
Flora Orbis Roma eſt: Floræ eſtq; Polonia Campus
Et procul Albani florem redoletis Hymetti,
Gens olet in Roſeo procul & Szembecia Flore;
Nam poterat Superis flos necdum natus, olere,
Sæcula præſenſere Roſas; præſaga futuros
Et ſubodorantur longè ante oracula, Faſces.
Seu Te, purpureô Latium circumdabit oſtrô,
Præſuleus cinxit, ſeu Te, Roſa Ternio Murex;
Non inopinatum Flores decus! Omen adimple:
Nam Tua, cùm ſacri cecinerunt Stemmata, Vates,
Ad Vaticanos deſignabaris Honores.

TRiumphalem Honori Tuo Princeps Celſiſſime adornaturi pompam, videmur nobis ab ipſo dicendi initio, quaſi à littore magni fluvii, hinc inde abripi, neq; uno loco ſtare, neq; uni tempori immorari; ſed navigantibus ſimiles, nunc has nunc illas luſtrare terras, per Regna & populos abire, innumeros etiam annorum receſſus

emetiri;

emetiri ; aut fluctuantium more, in varia ferri, propendere in diversa, nutare, luctari; tantùm non distrahi, tantùm non desperare; immenso certè Gloriæ Tuæ altò videmur propè absorberi. Superum fidem! Quis ille, tam multiplex, & tam antiquus Generis Vestri Orbis est! Quisve tam magnus, & seipso major alti Sanguinis Rubicon! Quis tam inexhaustus constantis fortunæ Euripp'us! & quod tandem illud (ut omnia complectar simul) tam vastum, tam profundum, tamq; infinitum, Virtutum, Meritorum, Honorum, Decorumq; Tuorum, Mare est! Innatare possumus Laudibus Tuis Oratores, non tingere tantùm pennam elogio; non siccitatem accusare styli, sed tota perfundi mente, toto mergi capite, optare magna pericula svadæ, nunquam tamen naufragium metuere: quia Tuæ Gloriæ culmen, etsi ita emineat, ut vix attingi possit, & si nos animum prope deijcimus, altitudinis formidine; neminem tamen culmen hoc dejecit, ut spem prosternendo affligeret; sua mole depressit neminem, nisi ut ab imo erexisset: Arduum culmen est, non inaccessum tamen; stat pro Pharo, stat pro terminali portu, ingentem verò dictioni lucem, Oratoribus affundit copiam, dum Oceani instar, sed sine tumore, assurgit. Jactabimur ergo per alta decora; & quantumcunq; singulis inhærere voluerimus, vix unum quodq; delibabimus: quomodo parvam celocem undæ undis, fluctus protrudunt fluctibus, & effugiunt. Ecce jam adversum aliquid experimur! quasi contra torrentem niti, & à portu abire longius necesse sit! Sed in toto hoc Antistes gloriosissime decursu, nihil non secundum, utcunque prima omnia; nihil non pronissimum, utcunque ardua, occurrent. Ad fontem enim illum rapimur, unde vetustissimi Generis Vestri Nobilitas cæpit. Rapimur verò in tot sæcula, in tot & tam dissitas Gentes, nunquam tamen à Te recedimus, nunquam non in Te propensissimis ferimur studiis: ita Majoribus Tuis Virtute propinquus es! ita Sanguinis gloriâ conjunctissimus. Nam, si præclara gentis Tuæ facta ut non uno loco, nec uno tempore admirationem meruerunt, obire memoria conabimur, ubique nobis occurris, quasi ipse egeris. Ad fontem itaq; Nobilitatis Vestræ retro agimur; quia Tu, à Majoribus Tuis descendis; & à Te vicissim quasi reciprocus Gloriæ Alveus ad Tuos defluit Majores. Accepisti Nomen? auctius remittis: decorá accumulas;

las ;

las; vitam reddis immortalitate Factorum; ſanguinem etiam refundis, ſed purpurâ ornatiorem. ut ambiguum ſit Tu proſapiæ Tuæ, an Tua tibi plus debeat proſapia. Nihil autem illi debere videris; poſtquam omne acceptum copioſiſſimè retuliſti. Præclarum id: lucem compenſare majori luce; compenſas; aurum reddere auro; reddis; ipſam naſcendi Fortunam ditare virtutum pretio, & ditas. Majores quoq; ipſos Majoribus Tuis effeciſti Majores. Pleriſq; poſtquam magnum Nomen in hæreditatem ceſſit, Patrimonium Famæ turpiter profligant; quaſi de jure Nepotum eſſet: æquè relictas opes iniquo dominatûs abuſu corrumpere, quam collecta â Parentibus decora per infames maculas prodegiſſe. Tu, commodatum reputas, quidquid laudis ex Majorum Gloria percepiſti; ut proinde à Te ipſo tanquam rigidus exactor repetas Nomina; quæ natalibus reſtituis, & ſuperaddis. Nemo equidem negat: eas omnes, quæ Te exornant dotes, in Naturam & genium Gentis Veſtræ refundi poſſe. Quemadmodum ſoli inſitus eſt ſplendor, lux gemmis, vis occulta magneti. Sed quam pulcherrimum Tuæ Mentis inventum eſt: Naturæ geniô ad ingenium uti modeſtiæ? ut, ſi laudationem evitare non poſſis; ad omnes pertinere malis, quam pro Te vel minimum arrogare.

Tantum non deprecaris Antiſtes Modeſtiſſime encomia; paciſci maxime arduo propoſito cum laudatoribus Tuis malles; quam laudes pati. Patere tamen: quia nefas eſt Veritati intercedere. An Tecum inducias iniri ſines; donec pulcherrimas ex Tuis Majoribus laureas, non alteri quam Tibi ipſi retulerimus. Triumphos interim age; nam audire invitus non potes, eam, quâ, & ipſemet, Parentes Tuos colis, gratitudinem; eam iterum Gloriæ felicitatem, quam Tu in illos derivaſti, ferre ægrè non potes; niſi, cùm nulli unquam invideas, Te, Tuæ Genti invidere volueris. Talem & hunc, cæteri vobis invident (jam enim vobiſcum mihi ſermo eſt) vetuſtate graviſſima, meritis antiquiſſima, Sanguine Veſtro florentiſſima SZEMBECIANÆ Proſapiæ Nomina & Numina. Vos pij Manes, Vos pretioſæ Heroum animæ, Vos immortalitate digni Heroes. Talem, inquam, & hunc, invideant vobis ſæcula, invideant Regna; quem ad ſæculorum Gloriam, ad Regnorum Fortunam, ſed ipſis etiam ætatibus Veſtris ad invidiam, procreaſtis.

Et quorſum tandem, poſt apparatas, quaſi terra mariq; ex-peditiones, poſt ſuperata in ipſo littore (quia Gloriæ Tuæ altum nuſquam non altum eſt) naufragia, quorſum tandem defluxit (ſi tamen defluxit) Oratio? aut in quem nunc primum orbem abiimus, aut ubi jam ſumus, poſtquam huc uſq; appulerimus? Nova iterum præcipitandi deſperatione animi cauſa? quantum enim eſt Gloriæ Tuæ immenſum, quod vix ingredi licuit, & jam Orbem ultra noſtrum excesſeramus! Non unum ergo cælum, non una nos capiet tellus, dum Te proſequimur. Quemadmodum: vaſtiſſimus ille cælorum ambitus, geminis & per remota ſpatia disjectis continetur cardinibus, ut à ſe ipſo diſtare videatur; ita Domus Veſtra. Hic verò jam polum conferre polo, baſim reſpicere & apicem, meridiem comparare orienti, Vos, inquam, SZEMBECII, nunc his nunc illis locis, Honorum perpetuitate fixos & immobiles, nunc hàc nunc illa cæli parte, avitis ſplendoribus magìs & magìs conſpicuos, ſtabilititate & conſtantia virtutis ubiq; firmos, ubiq; altos ſuſpicere par foret & mirari! Sed, ſi tota Domus Tua Antiſtes Nobiliſſime Cælum eſt; Tu, poſt primum illum Nobilitatis Veſtræ Parentem, alter polus atq; alter vertex es; ſi oriens ille alibi, Tu hic altiſſima lux es, quaſi etiam fundamentum, fulcrum certè, & ingens Domûs Tuæ columen, & veluti Supremum culmen, veluti præſtantiſſimus apex, ſuper-ſtas, & ſuperemines, & prope Eminentiſſimus inter celſiſſima faſtigia aſſurgis Princeps. Potes tamen aſcendere ultra; atq; te ipſum facilè potes exſuperare; infra Tua enim merita ſerpit, quidquid non ſublimius fuerit etiam Celſiſſimò. Tui Honoris ſol, nunquam ad occaſum verget, ſed ad altiorem ipſo ſuo meridie attòlletur meridiem, prout verò Virtus Te porrigit Virtuti, & prout Tu Virtutes elevas Virtutibus; ita per Honorum abibis faſtigia; ita, quamvis Celſiſſimæ Domui Tuæ, frons, vertex, & Caput immineas coronatum; aliæ Te manent inſuper coronæ, quæ poſſint & ſupremas Tuas Infulas coronare; & quibus, non plus ultra illud Honorum, id eſt Archi-Præſulum Gneſnenſium Honor, plus ultra attollatur. Sed ab hoc arduo, iterum eò decidimus, unde eluctari cæperamus. Quanquam nec decidimus. altius enim longiſſimam Generis Tui Seriem repetere exorſi, à meridie ad phoſphorum, à corde ad Caput, ab ingenti alveo ad fontem ipſum, ab uno deniq; Regno ad plurima, & ab his, ad Imperium remeavimus

Et

Et hæc ſunt incunabula ſtirpis Veſtræ, hoc Meritorum theatrum, hic alter Orbis. Mirum id & inſolens: Quod Magnitudini Veſtræ nihil decreſcat; cum ad primam quaſi ætatem annoſum Genus reducatur. Iſtud verò eſt: quod inter Majores Veſtros, nemo vixerit ad Famam minor; quod proſapia Veſtra infantiam Gloriæ neſciat; atq; ut primum enata fuiſſet, nunquam repebat quaſi projectior. Supra modum ingentia ſunt, quæ naſcuntur magna. Veſtræ autem Domûs primordia, ultra ſæcula, ultra Viros, ultra Orbem proceſſerunt. Non Conſulibus, ut olim, ſed Regibus, ſed Imperatoribus computamus annos, quos vivere cæpiſtis SZEMBECII, & quos vixiſtis adhuc. Prima enim vobis ætas fuerat, quam Magnus ille, & Magno Alexandro major Carolus, ille ille Carolus, ſimul Galliarum Rex ſimulque Romanorum Imperator, armis, triumphis, Sceptris, Virtutibus ad ſæculorum prodigia, illuſtraverat, nec minus Nobilitate Veſtra. Cujus nos quidem Authorem, ſi merita ſpectentur? in GORLACO SZEMBEK recolimus; ſi præmiantis Dignitas? in ipſo Carolo adoramus. Et nonne id Honoris Tui ſtudiò actum putas, quod Majeſtatem Generis Veſtri quaſi curioſiùs perſcrutaremur? nonne id glorioſum: quod quaſi ad fundum originis devenerimus? procul es Antiſtes Modeſtiſſime, à ſuperſtitioſo illorum faſtu, qui in Proſapiæ ſuæ Monumenta inquiri nolebant accuratiùs; temeritatemque exiſtimabant: ſi in intima uſq; Domûs penetralia irrumperetur; & ſi nec reconditioribus, quaſi cujuſdam Templi Sacrariis, parceretur ab ingreſſu. Plerumq; igitur, ad primum magnarum Domuum limen conſiſtendum fuerat; ne Diviniores illæ latebræ violarentur, ne familiari acceſſu vileſceret horror, ne tandem arcana Natalium ratio de facili ab omnibus perſpiceretur. Res interim non carebat myſterio. Latebat enim aliquod poſt Cortinam idolum, quod adorari voluiſſent, videri non permiſiſſent; latebat forſitan non unum deformatæ Nobilitatis monſtrum, cui Divini propè Honores affectabantur; ipſum tamen illud natale ſuum Numen, quaſi Originalem labem erubeſceret poſteritas. Ut proinde, ſi Majores cujuſpiam in cenſum Gloriæ revocabantur; conſtabat ſubinde: tantum ſibi timeri à laudatione, quantum nec ab apertiſſimis conviciis. Notabatur itaque in ipſo audientium vultu, ambiguum incerti Sanguinis decus; ubi palleret,

ubi nimiùm ruberet, ubi degeneraret, aut deficeret planè. Alij ſub verecundiæ obtentu deprecari ſolicitè metuenda elogia; abrumpere alij dictionem, quaſi modeſtiæ interventu. Erat tamen flagitium quoddam degeneris fortunæ; erat infame generi probrum, ad quod devenire nefas grande foret, aut fatalis gentilitiæ famæ ſcopulus.

At verò Polonæ & Tuæ Nobilitatis ſibi ſemper conſtans Gloria, inoffenſo, ut ſemel cæpit ita pergit ſemper tramite. Inter fumoſas vetuſtiſſimæ Domûs imagines nullam reperias: ex qua intaminatum decus obfuſcari queat; vel quæ carbone notari poſſit. tantùm id: ut ipſarum illarum paginarum, quibus Majores Veſtri imprimuntur, atra licet ſepia, de alto colore mutuari, de purpura Veſtra attrahere, & quaſi purpuratum Roſarum Veſtrarum folium, videatur. Pulchra ergo cæli facies, quibuſdam hinc indè obſcuratur nævis, interdiſtinguitur maculis; Tuæ verò proſapiæ Zodiacus id eſt tritum illud ſideribus iter, à ſigno ad ſignum, à Polo ad Polum, per immenſa integræ lucis ſpatia, quaſi quoddam fixi Honoris continuum, & æviterna ſine nube dies effulget conſtãtiſſimè. Itaq; cùm Tuos Progenitores memoramus; loquimur Gloriæ Tuæ ſecuriſſimi, & tantum ne moderationi graves ſimus ſoliciti. Poſſemus immorari, poſſemus neminē præterire; quia cujuſq; Veſtrûm decora, adimplerent Panegyres, adimplerent Bibliothecas; at ſi in unū Te colligimus omnes; ſi quoſdā, quòd ſingulis inhærere infinitū eſſet, reverentiſſimè tranſmittimus; non gloriæ certè Veſtræ anguſtiis premimur; non diffidentiæ medemur; quaſi conſultius ſit laudaturis, alios obiter attingere, aliorū vix meminiſſe, ſilentio involvere alios; ſed, ne tot ſæcula, quorū memoriam fatigaſtis, brevibus exhaurire Codicillis; & Veſtræ injurium foret Magnitudini, & noſtræ forſitan inconſultū temeritati. Quanquā, nec, Tuam Proſapiam à fundamentis educere; nec pacata illa piorum Manum ſilentia plauſibus Oratoriis interturbare, nec quenquam de vetuſtiſſima Gente, quaſi ab immemorabili ad memoriam & vitam revocare neceſſum fuerat; ita Tibi Antiſtes glorioſiſſime ſufficis abundè ad Gloriam; ita unus ſufficis abundè Tuis omnibus. Nemo unquam perſuaſum habuit: exortus Veſtros ancipiti mente explorare; nemo quaſi in incertum Genus rigoroſiùs inquirere: Cui enim tempori, cui Regno & cui non innotuiſtis; qui à tot

ſæculis,

sæculis, in tot Regnis, Imperatorum Fide, Regum approbatione, communiq; Omnium pro Nobilissima Gente Vestra testimonio Solis instar patebatis. Attamen: quantum vis solem, etiam maxime cæcus negare non audeat, delectat subinde, oculos immittere radiis, obire, numerare, investigare sidera; etiam vero admota crystallo juvare palpebram, ut se, in intima usq; Astrorum penetret. Nec indignatur nobis cælum: nec curiosos ausus cæcitate castigat, vel sacrilegam temeritatem perstringit fulmine. Amant enim soles, reverenter spectari; sua luce affulgent se intuentibus; quia non observantur ab incredulis, non suspiciuntur quasi suspecti; non indagantur ut dubij; neque censorio lumimine perstringimus Cæli lumina; nec utrum sint, curioso obtutu interrogamus; sed quia sunt, avidissimè intuemur. Amænissimum est: scientiam visu repetere; pronum est: ea quibus maxime afficimur, lustrare conjectu oculorum frequenti. Et ita Domus Tuæ præsentissima ex antiquo decora, perspectissima nobis sunt; sunt tamen etiam grata, sunt evidentia, Tibi quoque gloriosiora sunt; cum ad triumphum, ad pulchram jactantiam, ad plausus & tripudia recensentur. Pariter Magnæ Domus, & sui Generis tutò consciæ, perspici non refugiunt, explorari non timent; quemadmodum ingentes Xerxis copiæ, vel refertissima Principum æraria, vel Drusi, quam crystallo inclusisset, majestas. Domum autem Vestram, tam patens Nobilitas insedit; ut ad primos statim intuitus evidenter demonstrari possit; quantumvis longissima cognatorum siderum acies, quasi tota Mundi Sphæra, uno conjectu nequeat comprehendi.

Perge fæcunda Heroum, & Honorum feracissima Propago; perge sæculorum victrix fortunatissima, in infinitum Gloriæ orbem, in Cælum siderum, in Populosam præstantissimorum Virorum abire Gentem; Mereris enim rectefactorum multitudine, frequentiam, nec quidquam amittis de pretio; mereris ex Tuorum quolibet commendationem pro innumeris, nec vota exsatias, nec, cum publicis desideriis satisfacias semper, necessitati satisfacis; tales enim plures precamur à Superis, tales volumus omnes; sed animos nemo magis implere potest quam Tuus, Antistes noster: mereris denique ternitatem Virtutum Constantiâ, & nunquam poteris interire. Non illa Vos quidem infascinavit arrogantia: ut Prosapiam vestram ante Se-

ptemplicis Nili Oſtia, quod Ægyptij; vel ante Lunam, Arcadum more; vel cum ſole ſimul, Perſarũ inſtar collocetis. Quid fruſtra veritati obſtreperent fabularum mendacia? quid hominibus rationem adimerent affectatæ Divinitatis figmenta? Cæpiſtis aliquando & quod libenter fatemini, initia Veſtra non probrô ducitis. Optimum eſt vivaciſſimæ Gloriæ temperamentum: nec nimium recenti, nec ſupra fidem vetuſto Genere circumferri. Tali vero Vos moderatio Veſtra imbuit ſenſu; tali, moderationem ſecuta repoſuit fortuna ſtatu: ut nec quaſi primum nata Gens intra Cunas prorepat; nec quaſi ætate gravi fracta Domus fulciatur & inclinet; erigatur & ſua mole fatiſcat. Triumphant ergo Veſtra tempora ſuperbum ementitæ æternitatis ambitum; Cælô ſuô proturbatis fictos illos Deos; qui cum inter homines vix noſci poſſint; inter Numina reponunt originem. Indignatur enim nunquam ſatis fidens ſibi præſumptio: ſi primordiis ſuis reddita arctetur intra terminos; ſi in turpe obſequium, parvos exortus magno aſtu cælanti ſuperbiæ, non mentiatur Divina. At verò incertum Genus eſt quod hominum Scientiam effugit, quaſi occulta Nili ſcaturigo; ambiguum atq; fidei difficile eſt. quod ſe ultra omnem memoriam arroganter jactavit. Et quam probroſè deſiiſtis coævæ Superis Gentes, quæ vos cæpiſſe nunquam, perennaſſe tamen credebatis ſemper. Super has prolapſi faſtûs ruinas immortale erigit trophæum, pervetùſta; ſed quæ figmentis ſuſtentari non egeat; annoſa; Sed quæ rugoſam frontem adulationi opponat Nobilitas Veſtra. Prodiiſtis enim in lucem, non quaſi ſubitò apparentes umbræ, aut ex inſidiis erumpentes copiæ quibus attonita interrogatione occurrendum ſit; ſed prodiiſtis in lucem. quaſi promanantes ab iſto qui noſcitur fonte, alvei; aut propagati ab hoc, quem conſpicimus, ſole, Radii. Uberiore ergo Gloriæ proventu, plura de Vobis citra aſſentationem dici poſſunt; quàm quæ ipſamet confingere poſſet aſſentatio; &, ſi quidpiam plus, adulando, Vobis tribueremus; ad ignominiam dictum traheretur. Stabit interim intra Veri limites nunquam fallax Gloria; & tanto aſſurget major; quanto certiùs maxima elogia convenire creduntur nihil ſupra fidem arrogantibus; quia fæcundiſſima ingentium laudum parens eſt, ſuo patrimonio contenta modeſtia. decet fænerari ad quæſtum Gloriæ: dum renuntiando indebitis, debita

faci-

facimus, & pro fabuloſis veriora, pro minoribus recipiuntur au-ctiora. Itaque ſi Domum hanc antiquiorem Codro antiquiorem quam Chaos & Saturnia tempora affirmaremus; multum vetuſtati & robori detraheret nimis exagerata ſenectus; in ambiguo enim relinquuntur certiſſima; quoties narrantur ut incredibilia. Cæterum non novum Vobis eſt firmiſſima Nobilitatis authoritate confutare decrepita mendacia, atque edentulum livorem. Maturè vixit ad Gloriam, qui etſi fabulis poſterior ſit; diutius tamen ſine detrimento perſeverat, quam fabulæ ipſæ credi potuiſſent. Non igitur Gigantum fratres; ut aliena ambitio fidem exceſſerat & modum; non Cæli filios: ut incerti Natales celabantur olim; appellavimus. Ecce tamen Proſapia Veſtra vetus eſt; quæ poſtquam cæpiſſet jam novem confecit ſæcula; grandis ætate, grandis etiam origine eſt; quæ Ducibus, quæ magnis primordia refert Imperatoribus; alta denique eſt, quæ ſuum in terris cælum quò cunas reducat; ſuum habet Jovem, cujus Capiti exortus debeat fortunatos. Quodſi iis, quæ geſta aliquando narramus: ſoliditatem & fidem adſtruere conſuevimus, prout perſonas, locum & tempora determinare contigerit; conſtabit jam omnibus indubitata Generis Veſtri Gloria conſtabit Nominis antiquitas; virtute, Honoribus & Fortunâ, conſtabit magnitudo fundatiſſima. Quanquam nec totum id conſtabit; ſed ingenti ad Famæ integritatem ſuffragio. Nam quòd GORLACUS SZEMBEK, merita Domûs Veſtræ ad ſummum faſtigium extulerit; quodve pulcherrimo illi primæ Nobilitatis coronamento admoverit Caput; id quidem tam abundè nobis innotuit, quam certo ſciri oportebat. Sed quia ad Virum hunc tam ſanguinis, quam magni Nominis hæreditas defluxiſſe niſi ab Heroibus non poterat; Vos ego, ut vobis ipſis injuria, ita Hominum memoriæ malè fida tempora & teſtor, & in litem evoco: quòd tot Heroum Famam æternitati reſervando, illos equidem ultra monumenta omnia evadere permiſiſtis & quaſi quædam Gentis Numina poſtquam eripuiſſetis terris; nubibus ac cælo involviſtis; ſed nobis ingentes ſimul ad Oratoriam laudem copias, per ſummum nefas abſtuliſtis. Parcendum tamen eſt antiquitati, dum hominum memoriam profligat: & cui patentiſſimò argumentò eſt obliteratis literis pro ſe perorare. In unum enim Gorlacum tota confluxit Anteceſſorum Gloria; & fontis

inſtar ſeſe collegit compendiò; unde in apertum erumpere; in orbem diffundi, poſſet & in Poſteros exundare. Annus prope Milleſimus decurrit: ut Nobiliſſimam Gentem Fortuna in lucem edidit ac virtus. Serò quidem: nam ſolis incunabula merebamini. Sed partus ingentes ſæcula progignunt; nec præcipitanter enaſcitur quidquid perennaturum eſt. Nobilitas certè Generis Veſtri non inopinatò emerſit; non cum fulgure emicuit; non violentò fatò excidit; ſed lenta mole aſſurgebat in faſtigium, matureſcebat in florem; in meritorum coronamenta adolevit. O FLORES illos Szembecianæ ſtirpi avitos! O Cædris perenniores Roſas! nunc mihi jam ſilentia imponite Germanici Flori! nunc aut vos Flori Poloni pro me perorate! mea enim ſub Roſam devenit ſvada, & juvat magìs admirabundum tacere; quam non floridè loqui de Floribus. Pæſtumne? aut Heſperidū nemora, aut penſiles Semiramidis hortos obtinuimus? Omnia hæc, & longè plura, & ſi quis pulchrior terris colitur paradiſus, in Nobilitatis Tuæ, Florentiſſime Antiſtes, natali ſolo colimus & miramur. Roſarum enim Veſtrarum Patria, Romanum Imperium eſt? en pretioſam ſuis partubus Heſperiam! locus, ubi primo in publicum emicuerunt Roſæ Veſtræ, Aquiſgranum, nobiliſſima Imperij Civitas eſt? en Pæſtum, Pæſtô floridius! Roſarum denique Veſtrarum feraciſſimus Campus Polonia eſt? Quid hortos invidemus Aſſyriis? quid quærimus alibi Paradiſum? Singula hæc ingentem Gloriæ Veſtræ meſſem ex deſtinato ferunt. Nec enim alio tempore feliciùs naſci, nec aliò explicari loco patentiùs, nec altero glorioſiùs aſſertore in Nobilitatis venire inſignia, nec convenientiūs donari cuiquam, Gentilitiæ Roſæ Veſtræ poterant. Utrumq; pro dignitate, pro ſuppari Gloria utrumque: & quòd Carolus Magnus, & quod Vobis. Imperator hic; tam rerum geſtarum amplitudine, quam Magni cognomine orbem impleverat. Inter tot præclarè acta, ſi non majus maximis, haud minus certè præſtantiſſimis referri debet; quod Szembecianam Virtutem, Imperii ſui Flore coronaverit. Fecerat id: non quod ita Dominantis libido inſtigaret; ut olim æmulata Deos poteſtas, de nihilo protrudebat quoſdam in lucem; & totum unius Principis gratiæ debebatur, quidquid nobilitatis per familias affulſiſſet. Donabantur enim annulo quam plurimi; ſed donabantur. Miſcebant

ſcebant Nomina vetuſtis Proceribus novi homines, quorum tota dignitas ab imperantis nutu dependeret. Veſtræ autem Indolis eſt: tam benè mereri de Magnis Regibus: ut ſuam illi debere Vobis gratiam, ſuam quoquè debere ſe Vobis Magnitudinem fateantur. Purpuram Auguſtam, ſanguine prò purpura toties fuſo tinxiſtis altiùs. Roſarum verò decus, non magis ab Imperatoris Oſtro, quam à Veſtro ſanguine promanavit. Quid Flores miramur de Ajacis cruore pronatos? Ajace enim fortiùs conficiebatis bella, ſtrenuiſſimi de Gente SZEMBECIANA Heroës; & ſui ſemper prodigus Sanguis Veſter, in avitas Roſas effloruerat feraciùs. Non mollis hæc otij ſerta ſunt; non fluxus auræ popularis ludus, nequè relata ex profligatis cæterorum fortunis præmia. Nam ſi poterat pro levi quandoquè merito obtigiſſe alicui Nobilitas; Generi Veſtro, non obſequioſa inter delicias aulæ vita, non adinventæ fraudes, non pertinaces patrocinantium preces, non munera & expenſæ gazæ Nobilitatem pepererunt; ſed durus labor, ſed ferrum, ſed Clades Hoſti illatæ, aut obitus triumphalis. Inter acerrima prælia, inter haſtarum aculeos, quaſi inter ſentes & tribulos enatas Roſas, chalybs meſſuit. & tales Manipulos ex Martiali Campo retuliſtis; quales non mollis manus leviter carpſit, quales non ſpolia hortorum, non irritamenta effæminatæ naris, non ſpecioſum geſtamen, ſunt; ſed Virorum faſces, ſed Heroum inſigne, ſed manipuli militares. Vidiſſemus: ferramentis horridam Heroum Veſtrorum aciem; ut ſe, gladiis, ut lanceis, ut acutiſſimis telis, quaſi ſpinarum rubus adverſis inferebat Caſtris; & ſentiebat hoſtis formidandos telorum ſentes; & expungebantur campô; & ſi tandem fatali ictu non conciderat, effugiebat congreſſum; vulnera non effugiebat. Sed acerrimæ Indoli non horror fuerat objicere ſe hoſtilibus armis; pectore tela recipere, & rubo iterum ſimile corpus jaculari contra! inde exortæ Roſæ. Erant enim SZEMBECII Imperatoriæ militiæ Flos; ſed Flos, qui ad fata palleret nunquam; qui tantùm Domeſticos luxus, & molles delicias erubeſceret; Flos erant cui Martius Campus, Patria; cui fuſus in acie ſanguis, vigor, vita, & nativus color. Igitur in præmium conſtantiſſimi roboris, coronas, nunquam fugiente Roſa textas accepit Gens Veſtra. Quantum vero id: quod non alibi acceperit; quàm ubi Imperatores coronabantur, ubi &

E ipſe

ipse Magnus Carolus. Cæsarum majestati, & Vestræ Nobilitati, par fuerat theatrum, fuerat idem. Nam quia Imperatoria hæc cohors pro Principum salute & honore decertabat animosissimè; quia triumphalibus armis ausibusquè fortissimis, toties propugnavit Reges, Regna sustinuit toties & ampliávit; quasi Vestræ laureæ, Vestra diademata forent, quæ imponebantur Regum capitibus; eò quòd Principes juvaretis ad solia; & quòd virtute Vestra promereremini illorũ famam, prosperaretis bella, acceleraretis triumphos; laureas, Thronos, Coronas, seu pararetis, seu conservaretis. Suæ itaquè inaugurationis pompam Imperator Magnus voluerat; se ad nova Sceptra inaugurari existimabat; aut multis in futurum Imperia parari ominabatur; dum Heroës illos, dumq; SZEMBECIOS Patricia Dignitate inauguraret. Et quàm augustius emicuisse visa est Cæsaris purpura, inter Rosarum Vestrarum purpuratos Natales? Rosas enim murice suo imbuerat; & ab iisdem altum colorem geminavit. Susperat orbis, rubentem floribus illis Caroli Cultum; & quasi prodromam tot Procerum, tot Antistitum ipsorumque Regum auroram in illis Szembeciis salutavit. De Campo certè illo coronatæ Gloriæ feracissimo, tantùm traxerunt succi Gentilitiæ Rosæ; ut & Domui Vestræ inviolatum per tot sæcula decus retinere, & semper renasci ornatius, nitidiusquè in murices sublimari potuerit hactenus. Sed Tu Celsissime Princeps illud etiam fastigium conscendisti; unde Principibus purpuras sufficere, dispensare diademata, munus Tuum sit, & arbitrium Divino simile. Quasi in naturam Generi Vestro abiisse videtur: quòd Regum Majestati tuendæ, conservandæ, præsitis & coronandæ. Cùm enim non alius Vos locus in nobiliorem lucem ediderit; quam qui Cæsarum coronamentis natale solum fuerat; cognatum id habet Nobilitas Vestra: ut in honores Regios pronissimis feratur studiis, ut fide intendat omni; quibuscunq; demum Gentibus & quibuscunquè Regnis Prosapia hæc effloruerit; ibi tutò regnare Reges, ibi Regum florere Majestas, ibi maximè coronari. Agitis omnia Szembecii, & Tu Princeps Celsissime pro Gentis Tuæ genio agis omnia: quæcunq; Dignitati Principis in florem esse possint; nec proindè iniquum est: quòd ROSAS Vestras, suarũ & adjumenta, & decora Coronarum voluerint Reges; quodquè etiam in Majestatis consortium adoptent, quasi

maximè participes. Sed tantùmne flori chalybis inest: ut coronario illi ferro, quali Cæsarum fortitudo durabatur ad ardua, componi valuisset? accipimus id prodigio simile, si fluxam nimis pulchritudinem florum consvevimus incusare. At si firmissima Gentis Vestræ decora, si fortitudinem fatis infractam, si inconcussum agendi quidvis, & quidvis efficiendi robur, admirationem rapit? mirari jam desinimus Rosarum Vestrarum naturam tot sæculorûm victricem, mirari desinimus rerum miracula; orbis tamen miraculum est: immarcescibilis Florum gloria: æternum in flore decus; humana enim ut defloreant, florent; Flores verò Vestri, simul Nobilitatis annulo, simul æternitate quadam circumdati, quasi Coronarius Imperatorum Chalybs, non turbines adversos timent, non aquiloni cedunt, Caput autem Tuum, imò Te ipsum Caput insuperabile fatis coronant meritissimè. Talis debebatur laurea & illis immortalitate dignis Heroibus: Vos Imperator ornavit Rosis, ubi ipse ornabatur ferro; sed & ferrum hoc, quô Cæsares coronabantur Romani Vestrum erat; & Martem spirantibus animis probrosum ex Floribus præmium, nisi Sanguineæ illæ Rosæ, Bella, ferrum, & Martem redolerent. Redolebant autem: quas non mollis Charitum sinus, non blanda Floræ voluptas enutriverat; sed dura Gradivi educatio, sed cruor progenuit Virorum. An enim bellicosissimus Imperator non erubuisset quasi effæminatum munus militari Genti obtulisse? Majoresne vestri lenocinia gratiarum admisissent nisi tale donaretur Stemma: quod fusum toties sanguinem quasi aperto ore loqueretur, quod prælia referret, quod Martem accenderet, testariq; posset Heroum Genus, hortari posset ad victorias. Exinde igitur bellica virtus cæpit florere magis; Heroes Vestri exinde novis animis in bella assurgere, quibus domi jam aderat præsentissima fortitudinis admonitio. Imperatoriis enim exercitibus, pro signis præfulgebant Rosæ, præferebantur pro manipulis; præibant Szembecii Castris Duces, præficiebantur bellis primi ad quævis pericula Antesignani; dum Imperatorum locô imperarent conflictibus, disponerent & moderarentur populorum fata; id est: suos ubiq; Cæsares suos illos Magnos Carolos, nunquam degener Nobilitatis Progenies, præferrent gloriosissimè. Plerisq; magna Gloria parit inertiam, ut postquam ad culmen Honoris devenerint, ani-

mos deijciant ſeq; in otia, & imbelles luxus præcipitent. Quod vero illud tam inſolens robur Indoli Veſtræ ineſt: vires expendere magnis curis; exactiſſimis in publicum laboribus atterere ætatem; fatigare ſæcula, fatigare hominum memoriam præclare actis; nunquam tamen languere, deficere nunquam, & nunquam fatigari! Divinum id! Vobis enim collata præmia, irritamenta ſunt meritorum; collati honores, novi tituli ſunt Regibus obſequendi: pulchra concertatione laceſſere ſcitis Principum gratias, ſcitis & vincere: quia, cùm nihil jam majus Regnantis liberalitas tribuere Tibi Antiſtes Regni noſtri Maxime, poſſit; Tu plura merita congeris; Vos, præmiis omnibus majores Regum gratias promeremini; &, ſi præmia maximis majora, quæ tamen Vobis deberentur, deficiant; promeremini ipſos Reges.

Redibo iterum ad Caroli Magni tempora: non enim fons ille Nobilitatis Veſtræ exhauriri unquam poterit; quin alia ex aliis encomia copioſiſſimè affundat. Ab illa itaq; ætate, prope omnibus in Europa Regnis, omnibuſq; Regibus, quà militari obſequio quà Togæ officiis innotueratis! Et nonne idem erat, uni Carolo probari, quod Orbi toti; Imperator hic, compendium fuit Regnorum & Regum. quocunq; tanta Majeſtas ſe circumtuliſſet; rapiebat orbem in ſui admirationem. Alios enim pertrahebat amore, ducebat alios in triumpho. Omnibus ille terris ſe penetraverat; omnibus Gentibus aut arma intulit ſi perperam reſtitiſſent; aut vultum & Gloriam invexit, & reddidit fortunatas; Ita Galli Reges vel animos omnium ſubeunt, dum amantur; vel orbem victoriis peragrant dum timentur. Majores Veſtri Imperatori ſuo adhæſerant conſtantiſſimè. eos nulla fortis injuria, nullaq; loci iniquitas à latere, à corde Principis diviſerat unquam: ſcuta aut loricas duxiſſes: quæ corpus Regium circumſtabant & tuebantur. Aderant SZEMBECII, ad pericula, ad pugnas, ad triumphos, individui Imperatoris comites: Comites deinde & Imperii. Sequebantur Romanas Aquilas, Aquilis, in prælia velociores; ſequebantur Carolum ſuum ultra terrarum limites, ultra Pyrenæos, ultra Alpes, ultra Maria! quid: quòd & noſtro Viſtulæ fæcundos Heroum permiſcuiſſent ſudores, quaſi ſemina futuræ in Polonia Propaginis, quaſi rores, totidem gemmarum parentes! Plerumq; raptis agminibus præ-

currebant

currebant Duci Duces: ſternebant hoſtium cadaveribus triumphales Principi appias; ſemper tamen ſequebantur. Perſpexerat Heroum illorum virtutem, novos admirata Fabios, Italia: cum Carolus Magnus, Adrianum Pontificem, Romamq; ſimul, à Deſiderij Longobardorum Tyranni jugo vindicaret; id eſt: cùm ſua SZEMBECII obſequia Romanis Pontificibus exinde dedicaſſent; ſuum ſanguinem ſuaſq; ROSAS tempeſtiva Religione Pontificiis Coronis devoviſſent. Coluit Redivivos Sciplones & Hiſpania: cum Imperatoris ejuſdem auſpiciis Mauros ingenti clade funderent, fugarentquè. Inde profligati Bavari, inde repreſſi Hunni, inde etiam Saxones, ſi quando Principi ſuo rebellaſſent, ad officium reducti, ſentire & teſtari poterant, SZEMBECIANUM robur, fidem, magnanimitatem. Illudne ſilentiò prætereundũ: quòd florentiſſima Galliarum Lilia, nonquam floruerint pulchriùs: quàm cùm ROSÆ Veſtræ eﬄoreſcerent. In ea enim tempora, Nobilitas Virtutis Veſtræ, non ſine Numine, inciderat, quibus ampliſſimum illud Regnum, totius occidentis, an totius Orbis Imperiò auctius, in auge rerum, in felicitatis meridie conſtitiſſet. Poterat id non vanum omen accipi: Flores Veſtros, ad ſupremam Regnorum gloriam natos; Honores Veſtros, Sceptrorum eſſe Florem; atquè, tunc maximè futura Regna in flore; cum Vos regnatis maximè. Occidentali itaq; Romano Germanicorum Cæſarum Imperio, prout à Carolo Magno cæperat, coævum eſt Genus Veſtrum; eſtq; etiam propè cognatum: ſimul enim Carolum Leo tertius Pontifex Maximus (& Leonem ſpirabat ſemper Cæſar) Auguſtiſſimo inauguravit throno; Carolus ſimul, proſapiam Veſtram Roſarum Purpurâ exornavit. Prodiiſtis iiſdem fere incunabulis, quibus prodeunt Imperia. Aquiſgranum, tam Cæſarum Coronis, quàm Floribus Veſtris natale ſolùm eſt; Aquiſgranum purpurati Honoris fons coronatus, ad quem & noſtra oratio ut fluere cæperat, defluxit; & Vos, hoc de fonte profluxiſtis. Quantum verò debuit Imperatori ſuo, renaſcens in Occidente Imperium; cujus auguſtam infantiam & refloreſcentem poſt tot fata ætatem, ROSIS Veſtris pro murice omni excepiſſet? Sed nec Romana Imperatorum Aquila, nidum ſuum texuiſſe poterat majeſtuoſiùs; quàm de floribus Imperialibus: hodie, Polonarum Aquilarũ Nidus, Gneſna, ſuam Regniq; fortunam inter ROSAS Veſtras parit, ſpem fovet magnam; ipſa verò Aquila, quaſi

alter Phænix in florentiſſimo hoc Nido renaſci videtur ad ſolem, id eſt: Tuô PRINCEPS CELSISSIME animô, animari. Inde jam palàm conſtat: SZEMBECIOS vixiſſe nunquam & nunquam vivere ad Regum Regnorumq; exitia, ad publicæ rei detrimenta, ad Majeſtatis jacturam: naſci autem & vivere ad Imperantium augmenta, ad Communis Boni lucra; vivere Principibus ad quæſtum Gloriæ, ad magnos titulorum proventus. Quaſi in præmia gratiarum, quibus Gentem Veſtram jure merito fovebat Imperator Carolus, percepiſſe videtur nova Sceptra Populoſq; plures: & nunc, ſibi commodare Reges, ſuo throno, ſuiſq; Sceptris providere; dùm vos honorant: Veſtræ enim hæc, fortunæ, Veſtræ etiam ſolicitudinis, conſilii, laborum, & nullis caſibus proſtratæ fortitudinis prodigia ſunt: potuiſſe alibi occidentale Imperium novo ſalutari oriente; alibi occiduos thronos, occaſuras Coronas, & inclinatos ad occaſum Soles potuiſſe renaſci, atq; in novam lucem emergere; quibus Veſter Sanguis, Veſtræ Purpuræ, Roſarum Veſtrarum aurora, ad repetitos exortus præluxiſſet. Nam quamvis primus ille Originis Veſtræ aſſertor magnuſq; Nobilitatis Parens, fatis tandem, ut homo, conceſſerit; benè tamen mortalitati occurrerat, ut dignum immortalitate Numen: occurriſſe tempeſtiviùs non poterat: quàm, cùm ipſo illo quo vitâ exceſſurus erat tempore, Gentem Veſtram nobiliſſimæ luci edidiſſet. Præſaga nimirum funeris ſui, in Divino Imperatore mens, mortalitatis jura exſolvere nolebat prius; donec Vos, perpetuo Nobilitatis jure ad immortalitatem extuliſſet; id eſt: donec meritiſſimis illis Heroibus præmiatoria juſta perſolviſſet. Hoc verò, Cæſarum Auguſtiſſime fuerat: tot bellis, tot victoriis, tot Regnis, quaſi ſupremam impoſuiſſe Coronidem: ſi coronarias ROSAS in avitum inſigne, Heroibus Tuis donaviſſes; & ipſe, quaſi confecto vitæ curſu, poſt emenſa gloriæ Olympia, talem Tibi Coronam pro termino Coronarum præfixiſſes. Sed cælum Te forſitan vindicaverat: ne quid, poſt illud immortale factum, feciſſes mortale! Nemo deinde Regum, vitâ & Thronô decedere poterit: niſi lucem dederit SZEMBECIIS; aut tunc decedent forſunatiſſimè: cùm vos reliquerint immortales. In Vobis enim vivunt Reges: qui Cor atq; animus Regum eſtis! vivit alter Veſtrûm, arcanorum Regni conſcia, & ſuo Principi maximè intima, ad mentem omnium, mens.

Tu

Tu PRINCEPS CELSISSIME, vivis alter, & fatis ſuperſtas omnibus, quaſi immortalis, Religionis virtutiſq; Regiæ, nec non totius Regni Spiritus: animo uterq; ſpiratis in uno, & vitam ſufficitis Principi; ut vel occumbere nequeat quamdiu vivitis; vel ſi immortalitate dignus Princeps poterit occumbere aliquando, in Vobis debeat perennare. Ita perennat hactenus: ita mortem ſuam animat, ille adhuc SZEMBECIANI Generis Author Magnus Carolus: quia nec alibi ſepeliri voluerat, quàm ubi Nobilitatem Veſtram progenuiſſet. Cæſaris ergo Mauſolæum, ſtat æternum Proſapiæ Veſtræ monumentum. At ſi aliquis noſtrûm, cælo illi, quo tantum Numen reconditur, avidam aurem immittere auderet; ſi, in ſecretiſſimum quieſcentis Imperatoris conclave, vel oculos penetrare; perciperemus forſitan: ut triſtia illa ſilentia, quaſi majeſtuoſis plauſibus perſtrepunt; ut Sepulchralis horror arrideat; ut dura marmora miteſcant; ut feſtiva gratulatione commoveantur pii, Cæſaris Manes! Et unde calor tantus mortuo frigori? unde animus morti? ROSARUM Veſtrarum, amæniſſimum floridiſſimumq; ver, tetricam hyemem propulſavit ſepulchris, propulſavit funeſtos mærores: feciſtis enim Parentales illos cineres tripudiare; tulit ampla ſolatia defuncto Imperatori propagata per Orbem Nobilitas Veſtra, cujus ipſe Parentem ageret; donec vixiſſet. Alibi ſepulti honores pallent, pallent honorum mortes, nec jam noſcuntur: Sed purpuram Caroli, non funeſtarunt atra fata! quia ex natali Florum Veſtrorum ſolo, ſuccum & muricem: ex ROSIS, vivum colorem & jubar attrahit, extincta licet Majeſtas. Decent mortuum Imperatorem inciſa marmori trophæa: decent triumphales exuvias detracta ſuperbis Regibus ſpolia: profligatæ Gentes, comparata bellis Regna, palmæq;, laureæq; innumeræ, ad vitam revocant æternum Cæſaris Nomen. Sed Principi nihil decentiùs ad gloriam: quàm eorum merita illuſtraſſe; qui pro Principis Gloria vitam cum ſanguine expendiſſe, non diſpendium putaverunt. Ut proinde: quaſi ſuam mortem rependiſſet Imperator in immortale præmium, tot & tantis, fortiſſimorum virorum mortibus. Id eſt: approbandis Nobilitatis Veſtræ juribus, non manum tantùm, ſed totum appoſuit corpus, quaſi æviterni, quo ſemper gauderetis, juris corpus. Nec ceris duntaxat illa firmaverat; ſed lapide ſtabilivit ſepulchrali. quia

 tam

tàm Sacroſancta volebat, tam tuta & immunia: quàm nefas ſit, Regum monumenta violari; & quàm ſecurum agere oporteat, cujus vita & dignitas Regio corpore defenderetur. At enim dum Tuam PRINCEPS CELSISSIME Proſapiam fatis eripimus omnibus; noſtra ad ſcopulum impegit Oratio! Uſquè adeone, tumulo intulimus æternam Gentem, & mortuis, quaſi exſanguem, conſepelivimus Imperatoribus? Intulimus, conſepelivimus, at neutiquam exanimavimus. Trophæa ſunt, non funera; incunabula, non ſepulchra; propugnacula, non ergaſtula; quibus extulimus quidem SZEMBECIOS, ſed faſtigio. Nam Imperator ille Veſter, mundo hoc exceſſerat, quaſi alterum orbem cum Magno Alexandro quæſiturus: Veſtri pariter Nominis fama, diffudit ſe latè per Orbem, per circulos Imperii, per Regna. Tranſiiſtis ad ſuccedaneos Imperatores, quaſi præſtantiſſima Regnorum hæreditas: Vobiſcum, Sceptra, Diademata, Thronos, tranſmiſit Nepotibus ille Cæſar; cùm throno & Sceptris Vos reliquerat quaſi Gentem apprime ſuam. Nec reijci poteratis: æſtimabatur in Vobis & præferebatur ad exempla, Caroli Magni virtus, quam Generi veſtro, quaſi partui ſuo indiderat; cùm Nobiles procrearet. Noſcebatur glorioſiſſimis factis nunquam degener Nobilitas: cui altiorem ſanguinem cui deberet alti ſanguinis originem; & fovebamini Imperatorum gratiis, adhibebamini gerendis muniis, quæ ex longo uſu gerebatis; In genium & morem abierat: exercere arma, accumulare victorias, inſiſtere famæ, augere Nomen, agere deniq; omnia pro gloria obſequii, quod præſtare Principibus conſueveratis. Infallibile dignitatis & meriti argumentum conſtans Regum favor. Nam quod probemur uni, præjudicare unius gratia non poteſt arbitrio cæterorum: Sæpè pertinax ſimulatio, ſæpè morum ſimilitudo, quandoq; adulationis vel caſuum fortuitorum felicitas impoſuit animo; at ſi cujuſpiam pretia non interruptô alveô, à tempore ad tempora, ab homine ad homines, à Regibus profluxerint ad Reges, non torrens ille, non umbra virtutis eſt: ſed grave continuati recti ævum, ſed maturiſſima, quæ bona fide teſtari pro optimis, & quæ adjudicare meritis debeat, canities. Non aliter proceſſit, neq; aliter conſenuit Genus Veſtrum: ſæcula exegerunt ROSÆ, gratiis Regum enutriti Flores, & gratiarum tenaciſſimi ſemper, quia pudoris, quia innocentiæ

& nun-

& nunquam pallentis metu fidei ex antiquo ſervantiſſimi. Non extimus color eſt: qui pingit oculo roſas; ita animos Veſtros penitus imbuit, totamq; penetravit mentem omnigenæ virtutis ſuccus. qui nec duris fatis deteri, nec variâ fortunâ variari, nec famulari tempore, aut exedi poſſit invidiâ, quemadmodum â natura inſitam verecundiam nunquam amiſerunt roſæ, niſi cum & ipſæ ſimul interiiſſent. Quid mortuas Cæſarum memorias obtrudit antiquitas? quid marmora loquuntur muta? ſubruit veritatem injurioſum tempus, aut in adulatorum mendacia deſævit ultor atrociſſimus. En viva demortuorum Regum monumenta! en fatis omnibus ſuperſtites Heroës! in quorum fronte, in quorum pectoribus, in quorum etiam vulneribus, veluti profundo æri aut auro inciſa relegas magnorum Imperatorum facta, triumphos, Gloriam. Veſtram enim Gentem, pro ſtatuis, pro coloſſis, proq; obeliſcis omnibus erigebant Reges in culmen; quos nominibus ſuis inſcripſiſſent, quibus ſe in longas ætates porrexiſſent; quos tandem æterno Regum honori in Capitolium, inq; omnium Gentium aram dedicaſſent. Tam ſtabilis ergo virtus obfirmavit Proſapiam Veſtram famâ, obfirmavit honoribus, & fecit fundatiſſimam. Concertare de Vobis videntur ſuprema orbis capita, concertare & Regna; ſi deeſtis? invident; & æmulantur ut præſtò ſitis, & prærîpiunt. Non pretiò tantùm & amore Veſtri, ſed quaſi indigentiâ, commoviſtis Principum animos in contentioſam affectationem: Te PRINCEPS CELSISSIME exambiûnt; qui exambiunt coronari; coronatos jam, ambitus quidam perurit adhuc: favoribus novis vos cumulandi. Merentur id pertinaciſſima ſtudia, labores improbi & nullis parcentes impenſis curæ: quibus, pro Regum & Regnorum integritate, uſq; & uſq; contenditis. Luctamini enim cum fatis: & propè vincitis; adverſa reprimitis adverſis? fide, fortitudine immobili, ſtudiiſq; conſtantibus ſuperatis. Legent poſthumæ ætates fidelitatis exemplar; trahentur ſubditi Populi in obſequia Principum, Vos imitando, tantus in tuenda Majeſtate ardor quem non accenderet; inter tot enim luctas, dum intenſiſſimis conatibus, ſuſtinendo throno, ſuſtinendæ publicæ rei, adnitimini; propè ſanguinem deſudatis, & exæſtuantes civilibus odiis animos, tantum non ſanguine præſtinguitis. Efficite ſtudioſiſſimi publicæ felicitatis id precor; quod

agitis ſemper; efficite tandem: ut exſpirantem Poloniam, ſuō Regi, id eſt ſuo Capiti: ſuæ libertati, id eſt ſuo Cordi: ut Polonia ſuæ vitæ, ſuæ ad mentem Patriæ, menti; id eſt Polonos reddatis Polonis! Vos magnos Patriæ Patres colemus perpetuò: Te Pro-Rex Celſiſſime Gneſna Lechum; Te renaſcens Lechia, quaſi primum Parentem ſalutabit Gneſnæ, & coronabit! nemo proinde mirari, nemo & indignari poteſt, quòd ab ipſiſmet Principibus, veluti perfecta veri erga Principes amoris idea præferamini: curæ ſunt Diis, qui Deos curant: niſi quod terreſtria Numina ſibi optimè proſpiciant; dum Vobis authoritatem ſuam impertiuntur. Poſt Caroli magni obitum, ſucceſſione deveniſtis in pretia Regum: qui non prioris tantùm ſenſui, ſed & propriæ concedebant conſcientiæ: ut Vobis afficerentur. Propagat ſe æſtimatio Virtutis Veſtræ, à Regibus ad Reges, ad Regna ab Imperio: nec reperiſſes purpuram, cui Roſæ Veſtræ, ut primò in altum ſanguinem erubuerant, decoro famulatu non commodaſſent. Jam Carolis, jam Henricis, & Rhudolphis, præter hos, pluribus, in delitiis, in pulchro uſu ROSÆ Veſtræ fuerant: Maximiliano autem, ſupra hos & plures in honorum augmentis. Nam ſuccedanei Cæſares, cum illis virtutem Vos Veſtram probaretis; lata de Vobis Anteceſſorum judicia, novis ſenſibus approbabant, ſubſcribebant non invita manu vetuſtioribus authographis, cùm merita Veſtra, Regnorum Regumq; faſtos adimplerent, cumq; Vos ſanguine fuſo indubitata ſcriberetis teſtimonia hæroicæ Virtuti. Ita unuſquiſq; Principum, ſuæ vos ætati, ſuæ arrogare voluiſſet authoritati: nullus tamen negaverat: SZEMBECIANAM Nobilitatem multorum Regum Sceptris fuiſſe antiquiorem. Si quis ergo ceris Veſtris ſua ſigilla ſuumq; Nomen imponere voluiſſet; invadebat aliena, nec violabat; quia Vos, & publicæ fidei, & præſcripto à Regibus Juri, fidem & robur adſtruebatis factorum pondere.

Inter hæc, dum vetuſtatis codices evolvimus, dumq; ipſi novas paginas elogiis Veſtris implemus; forſitan non levem in currimus cenſuram: quaſi intolerabilis ſtyli ſuperbia foret: Principum thronos, nec aliud ferè, pro loco arrogare oratorio! ergo humi ſerperet dictio, ſi non per ſolia volitaret? at verò ſitientiſſima Honorum Veſtrorum penna eſt, quæ e purpuris duntaxat laudationis colorem & ſuccum trahit: quaſi denigratura, ſi non

muricem

muricem biberet pro sepia. Et unde nobis major, tam verborum quàm rerum laudumq; vestrarum affunderetur copia, ne emendicato viveremus; ne encomia Vestra, quasi stipem hinc inde colligeremus? Purpura Vos decet: non cento precarii honoris. jactamus id palàm: non pati penuriam Oratores, quoties vobis concinnant elogia. ex Regum enim gazis sustentatur oratio. & non deficit. Abundè hoc! ne quidquam adimitur stylo, quod se familiariùs thronis ingerat: ubi enim quæri: ubi debetis reperiri, si non prope Regum Solia, si non prope in Soliis? Vos quisquis laudando accedit; Principum penetret penetralia; Regio lateri dicendi fiduciam, ori Regio dictionem admoveat, admoveat & aurem. nam, cùm pro Regibus loquendum est: Vos loquimini; cùm pro Vobis? ipsi loquuntur Reges. Exinde, majores ausus, impetum & vires, desumit panegyris; cujus auspicia ab Imperatoribus, cujus exordia à supremo Orbis Capite, cæpta sunt. Horum ductum sequimur, hos imitamur: quoties Vos laudibus adorimur. quasi interpretes sumus Regiæ mentis, quasi officium gerimus effata Regia referentium; sentimus enim de Vobis quæ senserunt olim & nunc sentiunt Principes; dicimus, quæ prædixerunt; nec alia describimus quàm quæ illi adnotassent. Quanquam injurium videtur: magnam Cæsarum Chartam, in breves paginas, augusta diplomata, in angusta redigere compendia? sed, nec legisse omnia suffecimus; & si legissemus, venerabundò silentiò prætereunda erant: ut vel Soli Vobis attribuant Reges; vel plura de vobis evulgata sint; quam nos possimus exagerare. Utemur itaquè, non insolitò promovendæ orationis artificiò: id est: Cæsarum testimonia producemus: quò dictis publicam fidem, fidei authoritatem, authoritati Vestræ, conciliemus Majestatem. Aut conticescendum interim est: dum Reges in summam extulerint quæ diximus; dum repetendo, approbaverint; sive dum adjciendo plura, novam suppleverint laudationis materiem, plus ultra dicturis. Nullus equidem Imperatorum vixerat: qui, postquam virtutes Vestras, quasi volumen luci publicæ paratum suis oculis usurpasset; illas judiciò suò non collaudaverit; sua manu non subscripserit; suarum etiam gemmarum prælo non mandaverit, opera scilicet hæroicæ virtutis, reimprimenda millies, & semper communi approbatione, orbisq; notitiâ dignos labores. Vestrorum Hero-

um ingentia merita. Henricus Septimus, Carolus Quartus, atq; Rudolphus Secundus, authenticis tabulis consignaverunt. Nec erubescebant Imperatores illi, præconia Vobis dare. Regum enim officium est, de probitate palàm testari; supra omne autem vulgus, nunquam vulgarem Generis Vestri Gloriam extulerunt, evulgando. Libet jam Henrici Septimi verbis elevare stylum: ut vobis composuisse panegyrim ipsi Cæsares videantur. *Pro nostro, ac Imperii nostri statu* (ita ille, magnum aliquod suæ famæ Nomen Henricum SZEMBEK deprædicat) *pro nostro*, inquit, *ac Imperii nostri statu, multis in locis, periculô personæ ac substantiæ placere meruit.* Placuerat verò maximè, cùm Romanum Imperatoris ejusdem diadema, contra Apuleiæ Regis vires, sustinuisse conaretur. Et ista est ROSARUM Vestrarum prima gratia, hic lepor: placere Principibùs, non turpi assentatione, non simulatis obsequiis, non verborum lenociniis, aut venustô blandimentorum venenô; sed fide, sed magnanimitate, sed placere virtutibus. Dictum de uno, accipimus dictum de omnibus. Quia SZEMBECII, Coronas Regum, *periculo personæ, periculo fortunæ*, hucusquè contendunt propugnare; & Regibus hucusque placent. Paribus vos encomiis posteritati commendavit Carolus quartus. paribus, ætati propè nostræ declaravit Rudolphus Secundus; ubi annosam Generis Vestri vetustatem, ubi antiquissimas laudes memorant & describunt. En igitur, Supremos Honoris Vestri apices! en primæ notæ elogia! ultra hæc, quonam calamus efferre se poterit; dum Cæsares Vestro Nomini subscripturi, pennâ utuntur pro Sceptro, & regnant ornatius. Carolus Quartus, auream Bullam condiderat; cui, totam inaugurationis Imperatoriæ seriem, modumq; inclusit; sed nec alia manus, sivè ingenuitatem Vestram, sive militaria Heroum Vestrorum balthea, sive triumphos gloriæ, exornavit. Debebant Heroës illi, aureâ bulla donari non semel, quod in bello se gessissent viriliter; prima Familiæ Vestræ ætas, præferre debebat pretiosum insigne; quod nunquam fuisset vilis; si tamen scriptorium illud & scriptile aurum, à Principum electione quasi à materia, pretium desumpserat; illi, Vos, ex ordine includi merebamini; quod ordinarium officium habeatis, ad inaugurationes Regum conferre; itaquè Carolus Quartus, aureum opus è manu & mente iterum profudisse videbatur, dum SZEMBECIANAS Virtutes æstimationi

tioni

tioni publicæ deſcripſiſſet. Repandite tantùm, ſimiles in pre-
tia Veſtra gazas, repandite omnes, quotquot hactenus, datis ad
Vos, datis pro Vobis literis, Regales dextræ condiderunt; &
quotquot, ne perſpici poſſint ab omnibus, modeſtia Veſtra re-
condidit. Illud novimus optimè: quòd ſi ROSÆ Veſtræ cen-
tifoliæ eſſent: ita illas, ſuis Principes nominibus, ſuiſq; impleve-
rint characteribus; ut ROSÆ Veſtræ, plus ſint, quàm centifo-
liæ. in bibliothecas, ſed foliorum Regalium excreverunt elogia,
quibûs Nomen Veſtrum iam inde celebratur. Illis, ne com-
pendiò detrahamus; agite vos ipſi, magna Principum ora Refe-
rendarii; agite, Regibus intimæ, menteſq; dextræq; Pro-Cancel-
larii; agite & Vos, viva vivorum mortuorumq; Regum oracu-
la, Vice-Reges! Vos, inquam, agite, quod ſemper agitis SZEM-
BECII; & quorumcunq; Regum de Gente Veſtra ſenſus, referte
factis, ut refertis; effata, explicate exemplis, ut explicatis; pro-
batiſſimarum Virtutum documentis, ut comprobatis, compro-
bate. Et tantum abeſt: ne quando Gloria Veſtra à primævo
flore degeneret; nunquam enim auditis in deterius; quin Proſa-
piæ hujus feracitas ſit: propagari in Proceres, propagari in Gen-
tes, in Stemmata renaſci, de antiquo tamen decore amittere ni-
hil. Vobis non damna compenſantur novorum inſignium ad-
jectione; non mutatur Nobilitas, cum augetur; nec quaſi de-
perditorum locô ſuccedit, quidquid acceſſerit. Amplitudo Ve-
ſtra capax eſt magnorum, capax plurium, ſed ſine ambitioſa affe-
ctatione. Ita, quæ & ROSARUM Veſtrarum foliis excepta
ſunt laudum monumenta, quaſi marmori aut æri inſculpta, nec
aboleri, nec obliterari queunt; lapidibus tamen & metallis fæ-
cundiores ROSÆ fruticantur in Gloriam. Vidimus Flores Ve-
ſtros, jam Regum Coronis circumambitos, cum Vos exambi-
rent Reges; jam Circulis Imperialibus coronatos, cum Proſapia,
ſimulq; Virtus Veſtra, per totum diffunderetur Imperium; or-
be etiam, quà major eſt, toto, Flores vidimus circumdatos,
cum Hiſpaniam, Italiam, & Gallias fortitudine peragraretis.
Non ii tamen Avitum Stemmatis Veſtri campum concluſerunt
limites: ut aditum præcluſiſſent omnem, novis inſigniis; nec tàm
anguſtis exilior fortuna ſe coarctavit ſpatiis: quin per nova acce-
dentium decorum augmenta, patere làtiùs potuiſſet. Quid,
quæſo, bene convenit Ibicibus & ROSIS? quid Capreæ hortos

juvant? nimirum: utcunq; alienam famam seu tempus rerum edax, seu tempore edacior invidia, aùt violenta sors arroserit; Vobis calamitatem inferre nemo potest; & si intulerit calamitatem vertitis in decentiorem fortunam. Non illos hìc acri objurgatione perstringimus: qui partæ â majoribus gloriæ infensi, congestis in Nomen suum ultro probris, familias exscindunt proprias, ceras avitas frangunt, atria imaginibus despoliant, talium corruptissimi mores, nihil integrum reliquerunt Domi; flagitiosa vita, exanimavit nobilissimam originem, & per summum parricidii nefas exspirare fecit Progenitorum famam. At Vestrûm nullus unquam vixit, in suæ gentis detrimenta; conservastis vetustos natalium splendores, quod satìs pro integritate Domûs foret; elaborastis insuper (ut nunquam turpi inertia delitescitis) ampliores domesticorum decorum proventus: quod Vestrorum meritorum magnitudinem, & quasi ambitiosa Principum erga Vos studia exaggeravit maximè. Carolus ergo Magnus, pro avitis Ceris Flores vobis voluit. etiamne voluit ex Floribus Vestris alienas Ceras (prout Vestri jam hodie muneris, & tantùm non potestatis est, aliorum Nobilitatem exsudare) Maximilianus autem, de Gente Austriaca Imperator, geminum apposuit stemmati Capricornum; quàsi cælò defluxissent sidera cum rore, in ubertatem decorum, in pulchriorem ROSARUm Vestrarum Florem. Erat hoc insigne congruentissimum meritis, qualia Maximiliano Cæsari Henricus itidē SZEMBEK præstiterat; qualibus se cæteri quoq; probaverunt. Nam sicut olim, pernicissimis animalibus celerior Heroum Vestrorum fortitudo, exsuperabat Alpes, exsuperabat Pyrenæos, & nulla virtuti bellicæ invia fuit via, ita constanter, celeritate incredibili succurrebatis integritati Cæsarum. Et nonne succurristis? cum unum ex Vobis Henricum *Conservatorem suæ vitæ & honoris* Maximilianus Imperator appellaret. Eodem vocabulo noverunt vos alii Reges; eodem etiam nunc ardore, aliorum Regum Majestati, oportunas suppetias, in tempore adferre, potuistis. sive ergo Rosarum spectemus sanguinem: sive celeritatem Ibicum? Generis Vestri fervor est ac impetus, deproperare merita, in subsidium Reipublicæ abripi, ire per adversa, & nunquam tardare. Sed nos hæremus attoniti: quàm promptum Vobis sit: in consiliis uno ictu assequi omnia & penetrare; quàm expeditum: eò jam pervenire,

quò

quò collimant alij; etiam verò efficere quidvis & exequi, antequam alij cogitare, antequam præmeditari, vel ſi itur in contrarium, antequam poſſint obviare! Pervaditis ſagacitate, Principum aulas; penetratis acutiſſimo ſenſu arcana conclavia; tantùm non animum uniuſcujuſq; penetratis! Veſtræ perſpicacitati, Veſtro acumini debent regnantes, ſi ad omnium mentem regant; ſi privatam cujuſlibet propenſionem, publicis commodis conciliare ſciant. A Vobis ſubinde accipiunt tempeſtivos, quaſi Deorum præmonitus: ut anteoccupare hoſtes, ut evitare pericula, ut fraudes internoſcere, occurrere futuris & ſubvenire. Impigro enim ſtudiò proſequimini cæpta, propoſito inſiſtitis, vigorem & animum negotiis inſpiratis, nec langueſcitis. Quid plura proſequar? facilè habetis, & proſequentium ſtudia celeritate gloriæ prævertere (ita per alta culmina ferentem ſe fortunam, nec pennâ aſſequimur;) facilè habetis, & perſequentis (ut ſemper fortunæ comes eſt invidia) livoris impetus, nón tam effugere, quàm eludere.

Pendentem ſumma Capream de rupe videbis;
Mart. Caſuram ſperes? decipit illa canes

Veſtræ autem Capreæ poterant, etiam leonibus cornu objicere, poterantq; feros terrere dracones. Sed Tuæ PRINCEPS CELSISSIME modeſtiæ, non ampliùs quaſi cornupetam ſtylum obtrudemus: non, Cæleſtem originem, non, collactanea ſummo Jovi Aſtra, familiares & propè cognatos Capricornos, non, dives Amaltheæ cornu, non, aras cornibus frequentes memorabimus. quò enim pererraremus fabulas: cùm de Vobis narrari glorioſa non poſſint, niſi vera; aut quid tamdiu inhæreremus exteris: cum domì ſimus.

Jam enim Gens Veſtra orbem invexit Poloniæ, & ſive ROSIS, ſive Ibicibus, ſive Heroibus Veſtris ſtat patentiſſimus campus Polonia. Illa Vos accepit hoſpites, (quanquam fortibus viris ubiq; Patria ſit) mox fecit Cives, quia vel inquilinum noſtræ terræ fuit, quidquid præſtantiſſimum peregrina tellus enutriviſſet; vel quia celeberrimi quacunq; orbis parte viri, non aliud ſuæ virtuti theatrum amplius, non aliud Nobilitati ſolum nativius, atq; adeo ſecurius, adoptare poſſint. Invident nobis fortunam regna: & quòd invideant, ſæpe detrahunt; ſæpe in excidium Nobiliſſimæ Gentis conſpirârunt, ne invideant. Habet

enim Polona Gens singulare aliquid, quò cæteris odiosa sit, sed appetibilis simul. Contemnere solemus bonum, quò caremus; super omnia æstimaturi, si non frustra desideramus. Undiquè ergo concurritur: & Polonia in voto est. Polonia, bonorum omnium promptuarium: Gentibus omnibus suppetiæ grandes, Polonia. Vos equidem, ingentia decora intulistis Regno; nec quasi egentes gloriæ, advenistis. Sed cum cæteras ditiones ditassetis famâ, parum vos collegisse putabatis, nisi nostrati genio probaremini Talibus viris egebat Regnum: non quòd penuriam Heroum pateretur; erat enim Gradivi Patria; sed quod pro suis adoptaret, fortissimos quosq;. Jam quid bellicosissimæ Genti nostræ ad robur venisse præstantius poterat; quàm Triarii illi Vestri: Hieronymus, Henricus, & Alexander SZEMBECII. Tres flores, totidem viri; in his virorum flos atq; militaris gloriæ; Sceptra Lechica tenebat, qui prosapiam Vestram Regnô & sinu recepit Sigismundus primus. Fidem temporum illorum appello: non pulchriùs unquam floruisse statum regni, quàm cùm Vos, florentissimum Genus, accessissetis. tunc enim Poloniæ limites, adjectis Provinciis extensi; tunc novæ terræ adjunctæ; quasi ut ampliore loco tanti hospites reponeremini. Igitur Sigismundo regnante, sub Annum 1507, tres illos Heroës Vestrumq; Nomen huc transtulit, Bartholomæus SZEMBEK. quidni verò, ut gentilitiæ aliorum arbores, ita & ROSÆ Vestræ crevissent abundantiùs, quòd quasi transplantatæ e terris in terram commigrassent. Sed mihi iterum multitudine dicendorum obruta viribus destituitur oratio. à Fastis itaquè, & publicis rerum Polonarum tabulariis, quærenda sunt subsidia. referemus iterum scripta alibi: quæ pro dignitatis modo describere ipsi non possumus. Omnes enim Oratorum calami Gloriæ Vestræ allaborando detererentur, doctæsepiæ, atq; sudentes sub prælo paginæ deficerent, priusquam: *Præstantia merita, fortes ausus, nobilitatis facta*, id est SZEMBECIANÆ *Familiæ decora*, literis mandarentur. Grandium ista sunt contenta voluminum, ingentes libri, quibus Regni nostri acta comprehenduntur; & quibus Vos tot annorum labor, digniùs quàm cedro, solidiùs quàm adamanti annotavit. Hæc legat, quisquis ad alienam lucem non cæcutit; hæc sciat, quisquis publicæ fidei credit. Non loquimur de SZEMBECIIS nova, non ignota loquimur aut incerta; non ea

loqui;

loquimur, quæ confixiſſet placendi ſtudium; vel quæ, quaſi aſſentationis pericula, dubiis ſenſibus excipi poſſent. imò nihil nos loquimur; ut de Vobis loquatur omnia, cui contradici non poteſt, vetuſtas; utq; hæc, quam Tibi PRINCEPS CELSISSIME dedicamus Panegyris, ſuis Authoribus ſit antiquior. Fatemur id palam: non noſtræ inventionis, quantumvis noſtri affectûs eſſe, quidquid ex veterum monumentis deſumptum, retulimus in paginam, & quidquid referemus deinceps. Manibus enim junctis, quaſi fæderati pro Veſtra Gloria Principes, conſignaverunt Vobis immortalia elogia; Vobis, non ad oſculum tantùm Dextera Regum porrigebatur; ſed quaſi ſtipulatam manum dederunt Reges: ut prope ſinguli Nomen Veſtrum & merita æternitati inſcripſiſſent. ita ſalutabatis Sigiſmundum, ita novos Indigenas ſalutaverat Sigiſmundus. recens enaſcentem Familiam, quaſi è cunis ſuſcepit Regalis Dextra, & levavit; ut *Pater ille Principum*, etiam Veſtræ propaginis Pater videretur. Hæc erant incunabula primæ ætatis, complexu Principum recipi, retineri ſinu, foveri manibus & nunquam deponi. Parum aberat, ne initia Generis Veſtri, decrepitam quarundam Familiarum ſenectutem, exceſſiſſent; niſi maluiſſetis grandevô Procerum ſeniô honorari; quam vetuſtiſſimis in Polonia Proſapiis anteire. Potuerat tamen reperiri aliquis, cui nemo Regum ſubmiſit Dextram, ut prolabenti fortunæ ſuccurriſſet; Veſtræ autem virtuti plena manu favebant Principes, & poſt Sigiſmundum primum, multa detulit ſecundus, plura ex ordine attribuit Tertius. *Quamprimum* (Rex ait quis non credat?) *Regni hujus jure cenſeri ceperunt* SZEMBECII, *nullam occaſionem benemerendi de Republica, prætermiſerunt; fortiſſimiſq; auſis devotum Reipublicæ animum cum gloria teſtantur. Quam Majorum ſuorum laudem, Hieronymus & Alexander jure hæreditario ad ſe devolutam, eximia animi contentione amplexi, magno Majorum ſuorum ſplendori, fortibus contra hoſtes Regni editis facinoribus, decus adjecerunt. Ea inſuper, virtutis & conſtantiæ, & fortitudinis, amore hujus Reipublicæ incenſi præbuerunt facinora, quæ, nonniſi à fortiſſimis viris, & amantiſſimis Reipublicæ Civibus præſtari poterant.* Accipiat orbis in compendio, quidquid elogiorum, ſive de Vobis, ſive de quopiam alio, cogitatum dici, dictum audiri, ſcribi atq; legi potuiſſet! talia de manu Regis accipiat, per Dextram ſuam aſſeverantis. Hoc verò maximum caput eſt Gloriæ Veſtræ: nam ſi immenſos encomiorum Veſtrorum codices evolvamus; totidem illi capitibus con-

ſtant;

ſtant; quam multorum Regum elogia promeruiſtis. In iſto certè, quod pro cæterorum ſumma adduximus, verba prope ſingula, ingentia capita ſunt laudum Veſtrarum, imo volumina ſunt & grandes bibliothecæ; punctum quodlibet, Honoris Veſtri punctum eſt; Rex ipſe, Caput. Cui nos, abſolutiſſimæ panegyri atq; omnium Coronidi panegyrum, quid ultra adiicere-mus; niſi Vos, & Genus & Virtutem, ultra Regum elogia protuliſſetis. Poteramus finiiſſe: poſtquam iis omnibus quæ dicta ſunt hactenus, ſubſcripſerunt Reges, & ſupremam appoſuerunt manum, & ſignatorem annulum pro meta defixerunt. Finiiſſemus jam, ſi facile poſſet concludi terminis infinitum; at vero magnitudo Gloriæ Veſtræ fines exceſſit & modum: nam cùm in ſingula prope temporum momenta, factis facta, merita urgetis meritis; ſtare ibi, quaſi jam confecto virtutum curſu non poteſtis; ubi Vos, quaſi non proceſſuros ultra, contendebat aſſequi laudatio. Sigiſmundus enim Rex, Hieronymum & Alexandrum SZEMBECIOS nominatim commendaverat: in hoc Geminorum ſigno, cælum Veſtrum amplexus, utrumq; hemiſphærium, id eſt Majores Poſteris, Proavos conjunxit Nepotibus. Tales laudavit, quales eratis; laudavit etiam tales, quales futuri fuiſſetis. Quod ſi, duobus illis nominibus, præſaga Regis mens, totidem Veſtrûm Nomina, quotquot, exinde vixeratis aut vivitis, evocaverat ad lucem; jam Tuum PRINCEPS CELSISSIME Progenitorem, Jlluſtriſſimum Franciſcum SZEMBEK Camenecenſem Caſtellanum; jam Tui ſanguinis Germanos: Jlluſtriſſimum Preclaum Voinicenſem pariter Caſtellanum, Franciſcum itidem, Regni Dapiferum atq; Biecenſem Præfectum; jam Michalem Suffraganeum ac Decanum Cracovienſem; jam Gemmam illam Domûs Veſtræ, Tibi pretio proximam, Regibus vero & Regnis æſtimatiſſimam, Joannem Pro-Cancellarium; Te ipſum tandem CELSISSIME PRINCEPS Regniq; Primas, Tecum, ſed infra Te, Tuos omnes, Rex ille Divinus, ſecuturis ætatibus conſignavit. Poterat: vel in uno Alexandro, alterum Generis Veſtri orbem prænuntiaſſe; niſi Tu ipſe, compendium grande Domûs Tuæ, Tu ſumma Proſapiæ, altum Sanguinis, Nominum Nomen, Majores Tuos, non tam ad vitam (quia immortalis eſt Natalium Veſtrorum Gloria) revocaſſes Staniſlae; quàm potiùs, in Te unum, totius Gentis merita, famam, decora, Vir-

tutes,

tures, veluti in ſuccum & animam collegiſſes. Itaque, cum Majorum Tuorum elogia legeremus hactenus; Te ſemper, quaſi Caput reſpiciebamus, ad Te quaſi ad faſtigium, eluctabamur; & in Te, quaſi in pelagum fluminibus magnis inferebamur. Quamvis autem, ea, quæ Tecum aliis, ſive meritorum ſive ſanguinis neceſſitudo interceſſit, neminem ita Tibi neceſſarium facit: ut quaſi egeſtati gloriæ per corraſas hinc inde ſuppetias ſuccurratur; non poteramus attamen non meminiſſe illorum, quos, ſaltem ad vitam neceſſarios habuiſſes; id eſt quotcunq; de Tuis ita vixiſſent laudabiliter; ut Tuas etiam animare laudes debuiſſent. Tam pulchro aſtu ſubire aures oculoſq; Tuos propoſueramus; ne, inviſi modeſtiæ Tuæ rejiceremur, ſi præter Te laudaremus neminem; itaq; quaſi leni uſu & aſſvetudine, Tibi jam illabimur; nec quod erraverimus diu, ignoſci nobis aliud volumus præter culpam. debetur id Principum Majeſtati; ut non ad primos congreſſus pateat: debebatur & Tuæ CELSITUDINI; ut illam non e veſtigio conſequeremur. Sed nec per longum errorem actum eſt quidquam; nec à Te minimùm digreſſi ſumus; ubiq: enim Te veluti ſtantem in procinctu metam tenebat, quacunque excurriſſet oratio. Cùm verò ſanguis ille Heroum Veſtrorum, Tuus inquam, ille ſanguis, toties ſe; perq; tot terras, aſſerendæ Regnorum Regumq; integritati prodegiſſet; nonne æquum fuerat: ut pro aſſerendâ Domûs Veſtræ ſed Tua potiſſimum Gloria, idem ſanguis funderetur in paginam, ſcriberetq; Proſapiæ ſuæ, & ſubſcriberet. Hunc ergo & talem, qualem Regales purpuræ elogiis depinxerunt, ſcripſimus hactenus; neq; tamen exhauſimus omnem; quia magnum mare brevibus foliis immittebatur. Itaq; poſtquam Majorum Tuorum pauciſſimos ad faciem & frontem Familiæ de vetuſtioribus monumentis protulerimus; linquimus ſuæ antiquitati innumeros; jam enim quaſi renatum vetuſtiſſimi ſolis ſenium, quaſi recentes annoſi luminis radios, & quaſi dies antiquarũ ætatum præſtantiſſimos ſalutaturi ſumus. Hic verò eſt noſtrorum temporum, ſupra tot retro ſæcula, triumphus: non illos tantùm, quorum magnitudinem credimus, indubitata fide referre; ſed quorum merita perſpeximus ipſi, quorum virtutes quaſi de facie novimus; ad veritatis evidentiam demonſtrare. Igitur non Hieronymus tantum & Alexander, *Majorum ſuorum laudum, jure hæreditario ad ſe devolutam, eximia*

 animi

animi contentione amplexi, magno eorundem ſplendori decus adjecerunt. adjeciſtis ſinguli; Tu PRINCEPS CELSISSIME decora adjeciſti plura, quàm omnes & ſinguli. Non deſciviſtis à præſcriptis Regum elogiis, à Sigiſmundi Tertii manu, pariterq; ab antiquiſſimo Generis Veſtri genio, ne latum unguem diſceſſiſtis; ut proinde, quidquid in reliquo dicendum reſtat; præconia ſint, præmia ſint & coronariæ Gratiæ, quas Tuæ Tuorumq; Virtuti, ſummi Reges attribuerint, ſumma orbis Capita adjudicaverint. Aliud mihi ex alio, ut jam non ſparſim nec confuſo agmine laudes Veſtras proſequor, occurrit. Sed cùm nihil magìs domeſticum habeatis, quam Virtutes; in illum imprimis, qui Tibi Antiſtes Religioſiſſime, pro maximo Sanguine eſt, erga Superos ardorem ex deſtinato incidimus. Equidem, teſte Germaniâ, Bohemiâ, Polonia, magnificè oſtentatis vexilla, phaleras, trophæa, Imagines, Stemmata; ſed prima eſt inter Inſignia veluti gentilitia probitas. Maternum certè Genus cui Tu PRINCEPS CELSISSIME exortus debes illuſtriſſimos, totam ferè nobiliſſimarum Familiarum Poloniam, SZEMBECIANO Nomini invexit. Odrowąſii enim lectiſſimus Regni noſtri ſanguis, flos ipſe Poloni ſanguinis ODROWĄSII, Roſis Veſtris ſuas purpuras, ſuas trabeas, ſuos adjunxerunt honores; & non poteratis decentiùs propagari. Sed, qui utramq; Proſapiam arctiſſimè colligaverat, virtutum fuit nexus. Odrowąſii enim, ſanctorum Genus ſunt, Cæloq; affinis origo, exinde jam Domus Veſtra virtutum nidus eſt, propago Veſtra pietatis propagatio & propago. tantum id, ut nec ſanguinem Veſtrum ametis; niſi plus innocentiæ ex atavis derivatum ſit; nec eam, quam Majores præclarè agendo pepererunt Nobilitatem, in cenſu gloriæ reponitis; niſi omnes naſcendi lege optimi fueritis; quia tandem nec fortunam æſtimatis, nec honores admittitis, nec vitam vultis: niſi probitatis culturæ deſerviant; in Domo Veſtra, quaſi ſola & maxima eſt hæreditas Sanctitatis. Hoc de ſanguine, Divina progenies Hyacinthus, ad ſuperos uſq; crevit; Flores autem Veſtros, poſtquam Hyacinthô cumulaſſet fortuna, & pietas conſecraſſet: traxiſtis in terras Divos, Domuiq; Veſtræ, paradiſum ſanctorum, & Cæleſtem Patriam implantaſtis. Unde Tu PRINCEPS CELSISSSME ſanctitatis vigorem & ſuccum, à prima ætate imbibiſti; unde Domeſticis nutriebaris exemplis: ut in Antiſtitem Sanctiſſimis pro-

pin-

pinquûm excreviſſes. Nemo ſcilicet Odrowąſianorum vivit, cujus vita in grande pietatis exemplar non ſuperſit. Supereſt ex antiquis Proceribus tantùm non antiquiſſimus, ex Senatu Senatûs Pater, Jlluſtriſſimus Avunculus Tuus Siradienſis Palatinus. In hujus unius Purpurâ, inviolabilis Sereniſſimi Joannis Tertii Poloniarum Regis Majeſtas effulget hactenus; ille refert immortali memoriâ dignum Principem; ille revocat antiquiorem Polonæ Gentis Gloriam; felicitatem reducit: vetuſtum probitatis morem ſervat; priſcam fidem, nunquam degenerem juſtitiæ cultum reſuſcitat, & ſemper æquanimos in publicum bonum ſenſus. Quantam Tibi CELSISSIME PRINCEPS conſiliorum mentem, & quam genuinos Virtutum ſpiritus, unus hic ex Materno Genere Hector inſpiravit; dum Senatoris vetuſtiſſimi longo ſvadendi uſu exercitam, fortunatis ſucceſſibus ſuetam ætatem, pro perfectiſſima idea reſpexiſſes, atq; in animum tranſſumpſiſſes. Tranſſumpſeras Tu: tranſſumpſit & Jlluſtriſſimus Regni Pro-Cancellarius: nec poterit non perennare in Vobis Odrowąſiorum erga cælites pietas, erga optimos Reges fides, amor erga Rempublicam immortalis. Inter omnia, quæ ab utriſq; natalibus derivaſtis, decora, ingenitus pro Orthodoxa Religione ardor, ſanguinem Veſtrum accendit maximè. Nam Jlluſtriſſimus Siradiæ Palatinus, ut flagitia profligaverat ſupremus tot Tribunalium arbiter; ut Comitia Regni oppoſuerat impietati; ut ſancta & erudita prælia indixit erroribus; ita validiſſimam manum expedivit contra Hæreſes; cùm Skargam noſtrum novâ poſt mortem loqui feciſſet linguâ; id eſt Periclem illum Polonum, iterum tonare, iterum adversùs mendacia fulminare. Veſtri ergo Avunculi nunquam frigido in fidei cauſa ſenio, novos triumphos debet Romanum Latium: quod Oratore Skarga, quaſi iterum iterumq; nefarias fallariorũ lites condemnaſſet. SZEMBECIANA autem Familia, à Caroli Magni Imperiis Nobiliſſimum Sanguinem religione conſecraverat; quem ſuſceptis toties bellis: Divino Romanorumq; Pontificum honori litavit ſponte. Et quæ illa, obſecro, propitii Numinis beneficentia: quòd Proſapiæ Veſtræ invictam fortitudinem, tunc Regno noſtro intulerit: cùm peſtifera corruptiſſimorum dogmatum lues, poſtquam vicinas afflaviſſet Provincias, Poloniæ fines invadere, atq; Sigiſmundi Primi animum ſubire attentaverit. Repreſſi enim

 ſunt,

ſunt, effuſæ in populorum perniciem ſtygis, inſultus; ad tartara ſua relegatæ ſunt, quotquot in exitia pietatis conſpiraverant mortes; fecerat hoc, cælo & immortalitate digna Sigiſmundi Regis Virtus; ſed vos, dum talia Reges facerent, non defuiſtis. Gentem ergo hanc, quaſi cæleſtes ſuppetias, Poloniæ immiſſam credimus: ut quidquid pietati adverſaretur, vos profligaretis. Vixiſſes tunc utinam Antiſtes vigilantiſſime: cum toties rejectæ, & toties orco remiſſæ hæresũ fraudes; illæ inquã, tam multiplices & ſuis exitiis repullulantes hydræ, monſtra illa infernalia, capita illa dolis omnibus fraudulentiora, ſeſe Regum gratiis, Procerumq; favoribus inſinuarent; cum toxicó omni perniciosiùs viſcera Poloniæ pervaderent! vixiſſes enim tunc, qualis nunc vivis, cor Regni nulli veneno penetrabile; vixiſſes mens erroribus impervia; Caput Senatûs vixiſſes, fraudibus inacceſſum. At, ſi quando pietas, quòd Tu necdum viveres, tantùm non exſpiraverat; animare cæpiſti fatales Religionis ruinas, vix ipſe natus, aut proximè naſciturus. Nam Parens Veſter Jlluſtriſſimus; quaſi quodam omine templa erigebat. unde tot Sanctiſſimorum Myſtarum futurus Progenitor noſceretur; vel ſi jam genuiſſet: Veſtrum fatum erat, Veſtriq; cauſa: ut aras exſtrueret quam plurimas, quibus, tot Myſtas, totq; victimas educaſſet. Geminæ certè illæ, quas cælitibus devovit ædes, veriora Delphicis oracula ediderunt: unde piiſſimus Parens, & Veſtræ pietatis idea, ſuas de Vobis ſpes confoveret; unde, eximia in munificentiæ præmium ſolatia præconciperet; utq; maximè domeſtica, & prope conſanguinea Vobis eſſet Religio: cui, & Templo, & Antiſtites, ab eodem Parente proficiſcerentur. Itaquè, cùm Thaumaturgæ DEI Matri ſtatuerentur altaria: Te, Præſulum miraculum, Te, ad prodigium virtutis Præſulem, accepimus viciſſim à Superis. cùm verò Divum Polonorum Principem, poſitis aris, quaſi ſoliô, extuliſſet Domus Veſtra; ſupparem ille honori ſuo gratiam in Te rependit: quòd primus hodie Regni Poloniæ Princeps, Dignitate Regibus proxima, adoreris. Sed vix Tuum reputas, quidquid non Tu ipſe pro Te mereris! Magno ergo Progenitori pietatem refers & pietatis exempla; Tibi autem, quantum debet religioſiſſima pietas! quòd tot templa, alibi à fundamentis, alibi à ruinis erexeris; quodve templis aras, aris nitorem & ſacra reſtitueris. ut, ſi injurias, quas ſive vetuſtatis ſquallor, ſive ignava

ſocor-

ſocordia, ſive ſacrilegus furor intulit altaribus, avertiſſe non poteras; ita reſarcires damna: qualiter utiliùs propè videatur, fuiſſe aliquando illata. Perge Antiſtes glorioſiſſime, trophæa Religioni erigere, accumulare triumphos, in Florem deniq; Tuum omnia inſtaurare. A Te enim ultimam cladem exſpectat malefida impietas; Tuum nomen quaſi fatale ſibi, & quaſi vindex ſcelerum fulmen, & odit, & perſequitur, & timet tamen ac reveretur. Audivimus id ſæpe: cùm non indecorô vocabulo diſſidentium malleus appellareris; ſenſit vero non pridem chalybe omni durior protervia, quantùm edomando pertinaces illos, quantùm obſtinatam contumaciam frangendo, valueris; cum viribus totis, refractaria ſacræ Poteſtati Capita, Vladiſlavienſis tunc Epiſcopus, inflectere voluiſſes. Inflexiſti: etiam in profundam Tui venerationem, in authoritatis recognitionem, tantùm non in omnes nûtus. Neque enim faſtu aggrediebaris faſtum, ſed victrice animorum modeſtia, ſed laudata hoſtibus probitate, ſed affabilitatis illiciô, triumphabas ferream, triumphabas & auream duritiem! quæ tamen invictum mentis Tuæ robur, nullo pondere inflectere, nulla vi poterat ſibi inclinaſſe; quia Tu Antiſtes conſtantiſſime, malleus fueras, cui æs omne, & quodvis metallũ cederet, & quem, nec adulatio mollis, nec dura avaritia emolliret. Dicimus hæc de Te quæ ante nos, vocalior fama, in omnium aures promulgaverat; ære enim Campano, ſacrorum noſtrorum publicum, indici juſſeras Gedani: ne, quaſi convicta & depreſſa Religio, ſilentibus umbris damnaretur. Juſſeras id: & jam pertinax æris tinnitus, jam nolens illà nota, fruſtra obſtrepente hæreſi, in veritatis præconia cogitur: crebris verberibus quoties caſtigatur metallũ contumax, toties errantem illam Urbem Romanis triumphis revocat; toties erepta nobis templa inclamat & conqueritur; toties, Tuum Antiſtes Zeloſiſſime nomen, latè per auras circumſonat; ut vel uno hoc facto, magnus Orthodoxæ Religionis Propagator audiaris. Id quidem exiguum ad famam videtur: ſed Tu, quaſi magnorũ Apoſtolorum imitator, & ipſe Apoſtolus, nec leve, nec facilè putabas: ſurdos populos tintinnabuli pulſu, ad ſaniorem doctrinam excitare; imò arduum fuerat: inter clamoroſos ſiniſtrè loquentium tumultus, concionem advocare, attentionem parare fidei, atq; auditum. Quod ſi Te non aliò evocaſſet, ſummis

honoribus par Dignitas Tua; ita feliciter efficaci ardore, populis illis perſuaſiſſes: ut tota jam forſitan, & tanta errantium multitudo, Tibi obedivisset hactenus, pronam veritati aurem præbuiſſet, Tuiſq; præconiis jam forſitan credidiſſet. Poteras hoc olim, nunc plura potes: ideſt bonos efficere omnes, cùm ſis ipſe optimus. Nec enim aliunde, ſive impulſum, ſive vires, ad præclarè agendum deſumis; quàm à virtute. eò ſemper propendes; quò pietas inclinat animum. id tantùm averſaris, quod religioni adverſatur. non conſiliis, non ſuaſionibus, nec minis nec pollicitis duci Te ſinis & attrahi; nam ſanctitatis amor, dictaturam gerit, penes quem, totum omnia ſtatuendi jus, & omnia tibi imperandi. Superum fidem! quarum ille, quantarumq; virtutum in animo Tuo author fuerit? quales Tu & quantas, ad omnem pietatis nutum, exercuiſti! Non ego Te, graviſſimum Infulatorum Patrum Patrem primæ Tuæ reducerē ætati: niſi maturiſſima abſoluti moris canities, ipſum illum juventæ flòrem aliorum ſenio vel coæquaſſet vel antetuliſſet. Neq; tamen ſatìs maturum eſt, trabeatæ pueritiæ abblandiri ſtylo; neq; noſtrum putavimus: Tuarum ſcientiarum laudibus orationem acuere & ingenium; maxima enim Tuæ eruditionis gloria, Univerſitati Cracovienſi debetur; quam ſtudiis Tuis exornaſti, & quæ, ſuos, in tanto Capite, poſtquam excoluiſſet, colit ampliſſimè honores. Jam Te in Aula Sereniſſimi Poloniarum Regis Michaëlis, quaſi Cæleſtem Ephebum loqueretur penna; jam Angelum innocentiſſimum, vitamq; prædicaret Angelicam: ſi non mallemus teſtē virtutis Tuæ Romam potius appellare. Huic Tu, annorum initia, glorioſiùs, quam ſuæ novennis Annibal Carthagini, Sacramento devoviſti; huic vitam conſecraſti totam. Hinc nihil Tibi antiquius eſt: quàm vitia perſequi, quàm conjuratos in Romanum Caput hoſtes, debellare. A teneris enim, ex illo Sanctitatis fonte ſuxiſti flagitiorum odia; ex illa virtutum omnium Parente, religioſiſſimos ſpiritus deſumpſiſti. Ipſa ergo probitatis omnimodæ norma, formavit & excoluit primam ætatem. Agebas interim in illo orbis theatro, quaſi grandè virtutis exemplar; florebas annis, florebant ROSÆ Tuæ nativis innocentiæ coloribus. has, cum Romani, non tam in Ceris Tuis, quàm in vultu & moribus legerent; jam poteras tunc, communi ſenſu & voto ſupremis Infulis deſtinari. Poterat aliquis Flores Circumdatos reſpexiſſe;

ut

ut tempeſtivum illud omen, quaſi de Te dictum acciperetur: Quantum verò ad ſanctimoniæ ſoliditatem profuit Roma fuiſſe uſum Magiſtrâ; demonſtraveras id Palàm: cum ex Urbe redux, Tecum non curioſa oculorum irritamenta, non conquiſitæ eruditionis faſtum apportaſti; ſed ſanctitatem Romæ, quam incoluiſti; ſed Pontificis Romani ſanctitatem ad cujus Te normam componebas, invexiſti Patriæ. & quocunq; perveniſſes; animô, vultu, moribûs, ſanctam circumferebas Urbem, id eſt virtutum orbem circumferebas. Et quæ paginæ ſufficerent, univerſum hoc complecti, quod Tu intra pectoris ſacrarium collegiſti, Mundum parvâ tabulâ deſcribimus; difficilius autem eſt virtutis Tuæ monumenta in compendium redigere. Itaq; tot templa, tot aras, tot vivas Cælitum imagines, tot cultus, tot exemplaria probitatis, totam deniquè Romanæ ſanctitatis molem, quam mente & animo comprehendiſti, & quam factis reddis pulcherrimis, admiratione magìs & veneratione proſequimur. Ipſa Te Roma Apotheoſi donet, quæ Sanctos reddit, & quæ ex Sanctis facit Sanctiſſimos. Nam quamvis inſuper. mognos illos pietatis Tuæ Montes, quibus egenorum inopiam, quaſi apertis aurifodinis ſublevas, attolleremus; plura, liberaliſſime Antiſtes in miſerorum ſubſidia erogas: quàm miſeri rogare audeant, & quam nos poſſimus recenſere. Non damnas enim antris gazas, non carcere longo (Tuarum hæc opum innocentia eſt) corrumpis aurum; beneficiis tantum latebras quæris: & verecundiam egentium, pulchrô duello committis verecundiæ largientis. Vidimus tamen vidimus illuſtres umbras; Tuarum ſymbola vidimus gratiarum. Qualiter plenæ cæleſtis ſucci ROSÆ, deciduum aſtris rorem, ſuperum nectar, ſudoreſq; ſuos propinant in mella. tunc volucres illæ virgineæ, advolare ROSIS, tunc alimenta ſugere dulcia, ſugere pudicitiam ex floribus, tunc innocentiam nutrire; ita, Antiſtes Munificentiſſime integritati virtutis alienæ conſulis expensâ fortunâ; ita exitioſam pudori famem, beneficiorum influxu avertis; nunquam tamen deſides fucos alis, nunquam ſuccurris ignaviæ; nam Tuæ id liberalitatis ingenium eſt: quòd mendica illa otia, operæ pretio ditare velis; quòd Divino more auxilium manumq; porrigas cooperantibus, ſimul ergo inopiam, ſimul enutrita fame ignavorum flagitia, profligaſti. Hic verò, ut jam tacere voluiſſemus, ultro incurrunt,

Tuarum etiam virtutum nutrimenta. illas enim frequenti inedia recreas; cùm cæteros lautissimè pascis. Tibi, frugales inter convivia mensæ, inter Regias dapes, cibi modici, inter sanctos erga pauperes luxus, rigidissima jejunia. Quasi spiritu constares totus: sic menti tantum vivis & animo: sic Te lectione sacra pro epulis omnibus exsatias; tanquam non victurus, nisi sanctitatis cupediis reficereris. Inde tantæ vires resistendi malis: inde robur infractum, maximè ardua efficiendi sustinendiquè, Religionis & publicæ rei causâ. Sub tanta fatorum mole, qui non procubuerunt Atlantes? Tu robustissimus Alcides, pro labenti Regno sufficeris & ipse sufficis. Quanquam, & nullus ex SZEMBECIIS vivat; qui totam pietati bonoq; publico vitam non impenderit. Litastis toties sanguinem vestrum Polonæ saluti bellicosissimi Heroës lapidem movistis omnem, etiamq; saxa movistis sepulchralia Hieronymi, ut marmore firmior staret Patria; ut lapide graviùs proruereт hostis. Alexandris Vestris primus, ille non animosior; nec quispiam alter, secundus. Poterant viri fortissimi occubuisse, hostibus cedere non poterant! mortibus illorum, Respublica stetit: dum ad Smolenscii mœnia, quasi tumulo propior inter hostilia cadavera laboraret. Collegit triumphos sanguinis Vestri Sigismundus Tertius Poloniarum Rex & Imperator; collegit natas de sanguine laureas; Polonia verò non erubescendos Marti suo viros collegit: quorũ omnium pectoribus Regia manu inscribi aut triumphali ense incidi debuerit testimonium: *quòd amore hujus Reipublicæ incensi, ea, virtutis, constantiæ, & fortitudinis præbuerint facinora: quæ, nonnisi à fortissimis viris & amantissimis Reipublicæ Civibus præstari poterant.* Idem aliis Vestrûm inscripserat Vladislaus Quartus. Parenti Tuo Jllustrissimo, & Præclao Woynicensi Castellano inscripserat Joannes III. sibi hoc elogium inscripsit, & ferrô suo incidit Jllustrissimus Franciscus SZEMBEK Wislicensis Castellanus. bellô enim ætatem trivit, chalybem detrivit cædibus, usq; nunc strenuissimus hastatæ Cohortis Præfectus. & sive Sandomiriensi Palatinatui præiverit aliquando Marschalcus; sive copias deduxerit Heroibus refertissimas; semper ille Scipio est: cujus militia non aliud insigne scutô præferat, quàm gentilitias Rosas; ut olim, devicta Carthagine, scuta sua coronaverat Rosis & Scipio. At Tibi Jllustrissime Regni Dapifer, atq; Biecensis Capitanee, quis tam injurius, Virorum fortissimorum

morum & amantissimorum Reipublicæ Civium encomia invideat? Regna enim omnia incoluisti, æstimator omnium, & omnibus Regnis æstimatus; amore tamen Patriæ nihil duxisti æstimabilius. cujus vicissim amorem mereris optimè: dum Regi tam ipso places, quàm Regnum placere facis; quòd Augusto Regi ad gustum omnia præbeas Regni Dapifer: Quid plures, quid singulos vestrûm referre contendamus? si Te unum habeat nec comprehendere possit oratorum facultas; Te inquam unum, qui primas omnium vices obtinuisti, qui Domûs Tuæ compendium es, Jllustrissime Pro-Cancellarie! Tibi enim Polonia Regem, Tibi Rex gratias debet omnes, in cujus gratiam facis omnia, & ipse Joannes, Gratia Regum sis, Tenes gemmam Regni, pretia servas, æstimationem Polonæ Genti concilias: cùm Te exteri Principes, quasi gemmam Aulæ, quasi consilij Caput, quasi fidelitatis miraculum, & sciant & æstiment. Augusti Regis Cor, illud clementiæ Augustale, quàm meritò intima admissione occupasti; quàm gemmâ omni pulchriùs, exornas pectoris Regiam! ubi enim Joannem Pro-Cancellarium collocaremus? aut cui melius Regii Cordis custodia committeretur. Posset hodie Serenissimus Augustus, pro aureo vellere Capricornos Vestros circumferre, Augusti Romanorum Imperatoris more: qui cæleste hoc signum, quod sibi natale sidus fuisset, circumferebat. Sed Tu, cultu omni pretiosior, magìs Regem deces quàm aurum! ex Te enim noscitur ille, atq; innotescit clariùs, quàm ex purpura! Tu quovis Insigni nobilior; facis id præstantiùs: ut ipsa Regis purpura, thronus & diadema, Rexq; ipsemet agnoscatur, Non aliter hoc: nisi, quòd Regum honori impensa obsequia, Regnorùm servire integritati, pridem apud Te judicaveris. Sensimus jam: magnorum siderum deliquia, gravi terrarum fatô contigisse! Nihil ergo solicitudinem vestram fatigat magis: quàm labefactatum Reipublicæ Corpus, Capiti suo conjungere, atq; sic in integrum restituere. Exspectamus prodigium SZEMBECIANÆ Virtutis: exspectamus à Stanislao nostro & Tuo, exspectamus a Signatoriis Aquilis Tuis, quæ nunquam soli palpebram averterunt; imo spectamus jam: divisam tot partibus Poloniam, in arctissimos redire nexus; cùm animi Vestri ita sibi invicem, ita cohærent & Regi. Nam PRINCEPS CELSISSImus, sua imprimis, quâ cælo gratus est pietate, cogit nostrates Divos, Superos omnes cogit

In ſubſidia miſeræ Genti! agit Staniſlaum, agit Poloniæ Patronum, & periclitantem populorum cauſam, agit apud Deum feliciſſimè! nec tantam credo, ſive conſiliis, ſive armis, ineſſe vim ad reprimendos fatorum inſultus; quanta virtute expugnat Cælum, profligat hoſtes, & ſemimortuum Regnum animat Staniſlaus! quaſi placari jam nobis volentes Superi, proximos favorum Soles, nominis hujus Phoſphoro ſignificaſſent: ut cum hoc Regni Primate, Cælitum gratiæ exoriantur, dies redeant fortunati. At vero Joannes Pro-Cancellarius, pretioſos gemmarum ſuarum ſudores, & ſudatas Capitis gemmas, ut nunquam alienis damnis projecerat; ita liberaliſſimè publicis impendet Bonis; illi enim arbitrium fortunæ ſuæ contulerat Reſpublica, cum moderatorem Comitiorum voluiſſet olim; & poterat hoc Scipione, ne laberetur fulciri. Illum autem nunc, quaſi tutelare libertatis Numen, quaſi ſpem magnam reſpicit; quia perſuaſum tenet: vim nullam contra nos habitura mala: eò, quòd fidiſſimus Regno Pro-Cancellarius, idemq; amantiſſimus Reipublicæ Civis, illa tantum approbaturus ſit & obfirmaturus; quorum valorem, Regum Majeſtati, communiq; tranquillitati profuturum cenſuerit.

Et hæc eſt gemma illa, quæ Fratrum Tuorum PRINCEPS CELSISSIME, Coronam, & quæ Tuas etiam Infulas attollit decentiſſimè. Cracovienſis enim Suffraganeus Jlluſtriſſimus Michaël SZEMBEK, Tua veſtigia premit: ut Sanctos honores imitationi cæterorum reliquiſti. Te per virtutum exempla ſequitur; nec tam Infulis olim Tuis, quàm pietati ſucceſſit. Illô orbitatem ſuam ſolatur Regni Metropolis, poſtquam Tu, (nam ſemper de Tuo Capite litigabant Tiaræ) jam Vladiſlavienſi, jam Metropolitanæ Cathedræ conceſſiſti. Illum itaque, aut Te potiùs cum illo, tritiſſima Vobis Honorum Veſtrorum via proſequimur; nec longè jam à termino ſumus. Tuorum enim PRINCEPS CELSISSIME votorum, curarumq; Tuarum ſcopus eſt: Poloniæ felicitas. Religionis in Polonia integritas. Regum intaminata Majeſtas; Romanorum tandem Pontificum reverentiſſima fides. Nos pariter, huic quod à Te cæpit, & in te deſinit ſtudio, Tui Nominis gloriam pro meta præfiximus, ſed non aliô propoſitô: niſi ut honores Tuos omnes, Clementi XImo Pontificum Maximo detuliſſemus; id eſt: ut Circumdatos Flores, in

Genti-

Gentilitiis ROSIS Vestris; in Archi-Præsuleis verò Infulis Tuis, tam eximia merita Tua, quâm coronariam gratiam adornasse-mus. Et Tibi quidem Antistes maximè, ab eo quo Romam in-coluisti tempore, singularis consuetudo cum Summis Pontifici-bus intercessit. Illorum continuus fueras, etiam cùm extra Ur-bem, semper tamen quasi intimè præsens degebas. Sanctitas illa beatissima, favebat, & supra cæteros afficiebatur virtutibus Tu-is virebas enim in Polonia, tanquã Religionis cardo; cùm verò, sanctis, pro fidei Romaniq; honoris cultu, accendereris ardori-bus; Cardinalis dici merebaris. Expendebas enim, avitum Ro-sarum sanguinem in ornamenta pietatis; simulq; in Muricem sacrum elevabas. Prodromæ interim Tiaræ præibant Galero; donec CELSISSIMUS PRINCEPS in fastigio constitisses: un-de Soli vicinior, in altiorem rubescas Purpuram; unde maturas Purpuris ROSAS, Aris inferas Eminentissimis. Non ludentis hæc styli, non blandæ assentationis præludia sunt, nec vana ina-nium votorum vaticinia; parum enim abfuit, ne id expeditum jam, in datis ab Innocentio 12mo, atq; Clemente 11mo literis, re-legisses. Legisti forsitan Pontificis manum, si non conferentem; exporrectam tamen, ut nunc polliceretur; quod brevi esset col-latura. Magnum est, & prope eminentissimum; familiari com-municatione quasi in intimum illud Purpuratorum Patrum con-clave, advocari; advocabaris! Mentiq; Pontificum Divinæ, Ar-canorum conscius immittebaris. Non Tibi autem parabantur Fasces conquisitis aliunde commendationibus; eximiis Te Vir-tutibus commendabas ipse, alienæ non indigus laudis; nisi quòd Te laudaret Roma, quòd Te, Tibimet ipsi commendabat: ut oblatos honores, Tuæ, dum Pontifices affirmarent Dignitati credendo admisisses. Clemens igitur 11mus talem Tibi Tia-ram primo obtulerat, qualis, in Eminentissimum abituro debe-batur; alta nimirum initia sunt: quibus nihil superaddi poterat, nisi Celsissimum. Susceperat Cathedra illa Vladislaviensis Epi-scopum: cui vires, muneri pares, & qui pro potestate agebat contra vitia. ipsum Cathedræ nomen, omen fuerat prope Regiæ Potestatis, ad quam per sublimem ascensum, & qui cæteris, in culmen honoris suffecerat, devenisti; ut verò Archi-Episcopo succedis, ita succedes Cardinali. Nam Pontifex Maximus Di-vinos monitus accepisse videtur ab oraculo: ut Tibi Infulas pri-

mas contulisset, utq; conferat Eminentissimas. Suæ appellationis vim, sui auspicia officii crediderat circumdare Flores aliquos vittis, & coronare. ROSAS itaq; Tuas aspexit lætus. persensit fragrantissimas pietate Rosas, virtutum Florem ; & jam pulchro eventu comprobantur vaticinia vatum, qui Beatissimo Patri, Vaticanos honores, quasi hoc sancitò prædixissent. Ergo Gratia, Infulis coronavit ROSAS; quibus, Serenissimi Augusti tempora, id est: fæcundissimi honorum & purpurarum Soles, ad Dignitatis maturitatem addiderunt. tantus verò est Regiorum pro Te votorum in Augusto fervor : ut Sol ille Serenissimus, qui Capiti Tuo radiis effulget omnibus, sacrò attemperari debeat Galerô. Sed meritis Tuis, sed Te ipso, Flos Antistitum vernantissime, maturius nihil ad Archi-Præsuleam Tiaram poteras contulisse. Pontificis igitur Clementissimi Gratiam, prona adoratione colimus : quod Flores Nobilitatis virtutisq; vestræ coronando, Clementi nomen fecerit, floridissimum ; & quòd cum Tuis honoribus, universum nobis contulerit Gratiarum. Solemne Romanis Pontificibus est : aureis Rosis, quas sanctitas sua inauraverit pretiosiùs, ditare Regum Gazas; ditare & Regna. fueratne Munus, Romà, Rege, & Regno dignius : quod Clemens liberalissimus obtulisset Poloniæ? fueruntne pretiosiores Rosæ, quas in Regium munus consecrasset ? Regi imprimis, inter tot opes, inter tot opum miracula, opibus omnibus æstimabilior es Antistes pretiosissime. Colit ille sacros Honores Tuos, ut Romam ; Te colit, ut Summum colit Pontificem ; Te, quasi Deorum munus, quasi refertissimum cælestibus gratiis thesaurum, quasi religiosum gestamen, & quasi de cælo submissum Ancile, ostentat. Quamvis verò, Tui Honoris Potestas, tantam apud Reges mereatur reverentiam : ut timeri etiam possit ; Tu PRINCEPS Regniq; Primas, amari mavis à Regibus. quibus Tua pietas, pro lege inviolabili est ; quibus, exempla præbendo virtutum, jura das probitatis; ut jam nec monere nec minari necesse sit; quia sanctè vivendo, hortaris ad honestissima, & optimo Principi persuades meliora. Tua innocentia mores componit Regum, modestia moderatur animos ; & si quando è Purpuris, flagitia, quasi damnosæ tineæ, nasci possent, Præsulum sanctitas, gravissima censura est, quæ vitia magna placidissimè castigat ; quæ & ipsos Reges possit reducere ad officium. Toti pariter Regno commo-

dare

dare meliùs ille Regnorum Regumq; Parens nequierat; quando quidem, Poloniam, Religione, famâ, & publica felicitate, florere maximè, aut reflorescere potiùs voluisset. Quid Ternio ROSARUM Tuarum, nisi Munificentissimi Pontificis Dona: quibus ternum Reipublicæ ordinem liberalissimè præmiatus, quasi Triregnum suum, Regi, Proceribus, Nobilitatiq; Polonæ submisit. fortunata simul obtulit omina: Polonos omnes sub SZEMBECII Principis auspiciis, brevi coalituros in unum. Agis id PRINCEPS CELSISSSME ubiquè, agis maximè apud Superos, & efficis prope. Nam postquam Te, Clementis IImi gratia, Archi-Præsuleis inaugurasset Infulis; non cessas unquam flectere cælum in gratias: quas ardentissimis votis & ipse exoras, & populos supplices sternis; tantumq; fiduciæ est, Tibi in Cælites, nobis in Tuam Sanctitatem; ut simul effundi preces jubeas, simul optatissimam placati Numinis Indulgentiam publicari. Ex aureis itaq; ROSIS Tuis, aurea sæcula renascentur aureæ Polonorum libertati; nec gemet illa sub tributis; quæ sui Antistitis pretiosa authoritate, jam se redimit ab injuriis. Tu enim Præsul optime, ut Gnesnæ Tuæ, ita Poloniæ toti, primævum felicissimæ pietatis, & sanctæ fortunæ reddis florem, reducis Adalberti tempora, ipsumq; animas Adalbertum. Hìc cineres sanctos, in plausum commovere; hic quasi e tumulo resurgere Sanctissimus ille Antistes; hic Caput attollere tantùm non præmortua Polonorum Religio; jam Adalberti ROSA arridere Tuis, jam Gnesnensia Sacri Senatûs Lilia, Vestris inclinari Floribus; jam fatale illud superstitioni Swięte, religiosis fluctibus triumphare; jam tandem Gnesna, jam totum Regnum post tristissimos squallores, in amænissima Tempe, in gratiarum apricum, in Sanctum Adalberti ver efflorescere. Flores enim Tui, vivum colorem de Sanguine Divi Martyris traxisse videntur: consanguineos diceres SŁAWNICIOS Szembeciis: ita purpuram, sanguinem, mentem, & animum, Sanctissimorum retines Antistitum! inde non probrum putas: quod extra limites Patriæ, aliquando (quia virorum constantiam, pulchra fuga & decet & probat) innocentissimè profugiendo; Adalbertum, toties suâ Cathedrâ, suâ Pragâ, suô Bohemiæ Regnô excedentem, gloriosa imitatione secutus fuisses. Ecce jam, Nobilissimus fatorum triumphator Gnesnam Tuam repetis, ubi per longissimam ætatem, mortuo

 qui-

quidem, ſed dum in Te vivit, convive Adalberto. id eſt: Tamdiu Te nobis Superi non invideant: donec optimos quoſq; & Sanctiſſimos Præſules vitâ Tuâ animaveris. Nec tantum tibi annuat Cælum: quantum Tu immolari cælo exoptas. nam Tuo Martyri, cujus Tiaram geris, lauream invides; & ſanguinem pro ſalute publica litare, ſancta perurit animum æmulatio. Satis hucuſq; ſanguinis Tui impenſum eſt Patriæ; impende interim, ut Regni commodo impendis, emeritos ſudores. Alia Te purpura manet; qua poteris Gneſnenſes Mitras illuſtrare. Habes tot honoris Tui victimas, quæ pro Te, id eſt pro totius Poloniæ fortuna Aris procidunt.

Inter has, devotiſſima Nomini Tuo Societas JESU, Clementis 11mi Throno advolvitur: ejus Gratiæ, quam Tuo Capiti ſuperaddidit, gratias maximas relatura. Nobis enim (ut Deos Romæ propitios habemus) nobis Clementiſſimus Pater favet: cùm Præſules, quorum favoribus vivamus, quaſi Tutelaria Numina providet; cùm Te, qui ſi ſanguini Tuo afficeris, nec nos odiſſe potes, faventiſſimum Antiſtitem voluiſſet. Tuus utiq; Sanguis erat, è Majoribus Veſtris unus, Fridericus SZEMBEK, inſigne illud Societatis Minimæ decus, ac Provinciæ noſtræ lumen. Præter hunc, quem ſatis ad pretia commendavimus, dum SZEMBECIUM diximus, non deſunt alii, non deerunt forſitan plures (quia Proſapia Veſtra, Sacrarum Familiarum, & cælo progenitarum Mentium, fæcundiſſima Parens eſt) non deſunt inquam, Gratiarum Tuarum apud nos quaſi obſides; nec maculas Generis eos putatis, qui Nomen Veſtrum ſideribus admovent, Nominiquè, Nominum omnium maximo, conſotiant. Quid verò à Gentilitiis ROSIS Tuis exſpectaremus, niſi gratias? Admitte nos PRINCEPS beneficentiſſime; Tuiſquè, ut Tui ſumus, annumera. Da animum conaribus bonis, quibus Societas noſtra, quibus Provincia hæc, ad pietatis incrementa connititur; da Mentem eruditiſſimam Scientiis, quas honori Veſtro dedicamus; approba literas, alibi tyrocinia literarum confove: Tibi enim noſtra lycæa creſcent: Tuæ Gloriæ ſtudioſiſſima perficientur ſtudia. Sed quô felicitatem noſtram exaggeremus: Archi-Præſuleo Caliſſienſi Collegio, nullus, ſuperum munere optabilior contingere poterat Archi-Præſul, quàm KARNKOVIUS noſter alter; id eſt: inter Gneſnenſes Principes, STANISLAUS alter.

alter. Quamvis enim Tu Primus PRINCEPS Regniq; Primas nemini secundus sis; est tamen, unde festivos plausus congeminare debeamus: atq; simul Tibi Gnesnenses Infulas; simul nobis derivatam à Tuis Infulis fortunam gratulari: nimirum, quòd redivivô Karnkoviô, iterumq; Stanislaô animemur. Natale hoc, Munificentissimi Parentis nostri Nomen, reducet nobis post exactum seculum, primævam felicitatem. Recurrit jam, florentissimum illud primæ ætatis ver, cui Karnkovianus Aries, copioso gratiarum influxu præluxerat; recurrit inquàm, cum auspicato Rosarum Vestrarum exortu; ut si nobis, natali sidere exstincto, mitiores anni obierunt; si fatorum injuria, vel cujusquam invidia, liberalitati Fundatoris Optimi utcunq; detraxit; id est: si veri illi faventissimo, fertilis æstas, æstati fructuosus autumnus, & tandem cruda successit, atq; omnia prope decoxit hyems; Tua PRINCEPS faventissime voluntate; Tuis Gratiis efficies: ne hybernos deinceps rigores, nocentissimam illam bonis tempestatem, vere novo, sentiamus. Præstabis id: præstabis plura. nam & Petricoviense Collegium, Authoritate erigis, erectum favoribus sustines: ut præter Calissiense Karnkovianum, alterum illud, Archi-Præsuleum sit, SZEMBECIANUM. Innatum hoc PRINCEPS optime servas: ut semper piissimis faveas causis; at verò nec nos impii sumus: dum in Gnesnensi Tuo Regno, junctam eruditioni virtutem multiplicare satagimus Tuo scilicet servitura Honori ingenia excolere quam plurima. Promove itaque, non nostros tantùm, sed Tuos etiam, sed SZEMBECIIS domesticos, pro literata Republica conatus; & jam nemo bonorum dissentiet, si nobiscum senserint SZEMBECII; omnia enim nobis præstiterunt Superi: cùm præstantissimorum beneficiorum locô; talem & hunc Archi-præsulem concesserunt. Tantum non indignare PRINCEPS CELSISSIME: quòd modestiæ Tuæ graves hactenus fuerimus. quòd verò imperfecta laudatio ingentem Nominis Meritorum Tuorum mensuram non impleverit; vires quidem & artem excesserat, descripsisse immensa; peccatum etiam videbatur: Magnitudinem Gloriæ Tuæ parvis circumdare limitibus; nihil tamen de studio omisimus: ut absolutam panegyrim redderemus; nec Majestatem Florum Tuorum arctis spatiis circumscripsimus; quos, ad supremum usq; Orbis Caput, ad supremas Capitis illius

Coronas, circumdando, extulimus. Quidcunque tamen, ne facile esset laudare dignissimos, commissum sit; id saltem apud Te Modestissime Antistes merebimur: quod studia erga Te nostra legere, propensissimos conatus apptobare id est FLORES CIRCUMDATOS in Gentilitiis Rosis Tuis, & Coronariam Clementis IImi Gratiam in Archipræsuleis Insulis admittere non dedignaberis: Tu enim, *quidquid humano generi floris est: totum habes.*

Cassiodorus de Theodosia.